

1, 318.
ad. §. 1092. 6

1697, 3 a
14

I. N. J.

DISPUTATIO JURIS PUBLICI

SOLENNIS,

De

CONJUGIO

ILLEGITIMO IN-

DULGENTIA PRINCIPIS

CONFIRMATO,

Quam

Ex Decreto Amplissimi Senatus Academici
in Academia Albertina

PRO LOCO,

Professionis extraordinariae in Jure obtinendo,

Publice exhibet

DAVID STAVINSKI,

J. U. L.

RESPONDENTE

JOHANNE FRIDERICO GÜNTHERO,

Regiom. Boruss.

IN AUDITORIO MAJORI,

Horis ante & pomeridianis Anno M DC XCVII. d. 12. Decembr.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

David Stavinski. De conjugio illeg. p. 1



AUGUSTISSIMO,
SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO III.

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
SAC. ROM. IMP. ARCHI-CAMERARIO,
ET PRINCIPI ELECTORI,
SUPREMO PRUSSIAE, MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE,
MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VAN-
DALORUM, ITEM IN SILESIA ET CROSNAE

DUCI,
BURGGRABIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI,
COMITI AB HOHENZOLLERN, MARCAE,
ET RAVENSBERGAE,
DOMINO RAVENSTEINII, ET TERRARUM
LAUENBURGI ET BATOVII, &c. &c. &c.

PRINCIPI
INVICTO, FELICI, JUSTO,
DOMINO SUO INDULGENTISSIMO,

Hanc, Pro Loco Professionis in Jure extraordi-
nariae Dissertationem,

*Humillime offert & consecrat,
subditus addictissimus*
DAVID STAVINSKI, J.U.L.

C A P. I.

De

CONJUGIO ILLEGITIMO
PRINCIPIS INDULGENTIA CON-
FIRMATO IN GENERE.

S U M M A R I A.

CONJUGIUM quid sit? §.1.2.	extra potestatem, an non, po- steriori casu non. §.12.
ILLEGITIMUM. §.3.	Priori casu possunt confirmari. §.
Connectionis ratio. §.4.	Quid usu obtineat? §.14. (13.
Prohibitiones Lev.18. non sunt naturales. §.5.	Quid Jure Divino Mosaico? §.15.
Ratio probandi Jus natura à posteriori est invalida. §.6.	An Consociatio Eunuchi cum fœ- mina libidinis extinguenda gratia sit legitima? §.16.
Conjugium naturaliter illegiti- mum ex defectu rationis & voluntatis. §.7.	Hac non est matrimonium. §.17.
PRINCIPIS vox explicatur. §.8.	An Conjunctio libidinis gratia sit matrimonium ex senten- tia B.Lutheri? §.18. ubi, qua ratione quis obligetur ad ma- trimonium, explicatur.
INDULGENTIA quid signi- ficet. §.9.	Conjugia Senum, Sterilium sunt legitima ob spem sobolis. §.19.
CONFIRMATUM esse dici- tur matrimonium vel plene vel minus plene. §.10.	Societas Eunuchi cum fœmina vel libidinis vel mutui adju- torii gratia naturaliter est licita. §.20.
An matrimonium liberorum in- vitis parentibus contractum à principe confirmari possit? §.11.	An dentur Leges divina positiva universales? §.21.
Distinguitur utrum liberi sint	A §. I.

§. I.



Conjugium, si vim vocis spectes, in genere quamvis conjunctionem mutui adjutorii gratia factam significare videtur; est enim quasi in unum jugum conjunctio; unde & ad jumenta aratri jugo conjunctis viribus innitentia applicari posset. Usus tamen invaluit, ut conjugium pro conjunctione sobolem procreandi causa usurpari soleat, in quo sensu Synonymum est matrimonii & nuptiarum. Equidem & inter hæc ipsa solet quandoque differentia intercedere; *arg. §. 12. Jur. de Nupt.* matrimonium enim, ipsam conventionem viri & mulieris; nuptiæ, ceremonias & ritus hujus conventionis, vel festivitatem nuptialem *L. pen. §. 1. ff. de Don. inter Vir. & ux. L. 24. C. de Nupt.* conjugium vero genus utriusque denotare videtur *vid. Gothofr. in not. ad Schneidew. Com. Inst. de Nupt. p. 2. n. 1.* Sed cum hoc perpetuum non sit, & hæc voces promiscue usurpari soleant *vid. L. 10. L. 11. ff. de R. N. L. 27. ff. de Don. inter Vir. & ux. L. 13. C. de Nupt.* nec nobis vitio verti debet quod his vocibus in hac Disputatione promiscue usi fuerimus.

§. II. Conjugium aliter à Justiniano *§. 1. Inst. de patr. pot.* aliter à Modestino *L. 1. ff. de R. N.* aliter etiam à Theologis nostratibus & pontificiis definiri solet, pro diverso conjugii respectu, quem ut hic conciliemus invicem prolixum foret, nec ad intentionem nostram necessarium, cui hæc simplex & brevis definitio sufficit, quod conjugium sit societas maris & foeminæ inita sobolem procreandi causa.

§. III. Legitimum conjugium dicitur quod secundum leges contractum est, eodem sensu, quo justum motrimonium in *L. un. ff. unde Vir. & ux.*; unde vi contrariorum illegiti-

giti-

gitimum nobis dicitur quod contra leges est contractum. Aliis quidem discrimen aliquod intercede videtur inter matrimonium nullum, prohibitum, & illegitimum; ita ut nullum sit, in quo deficit substantiale conjugii; prohibitum, quod contra Leges divinas & Canones ecclesiasticos est contractum, quod rescindendum est; illegitimum quod saltem contra prohibitionem juris Civilis contractum est, & hoc alias de Jure Canon. ratum & non legitimum dicitur *vid. can. fin. §. item illud Caus. 28. Qu. 1. Inst. Lancell. L. 2. Tit. 12. §. Ex his apparet.* Sed quemadmodum sub iudice lis est in quo nam consistat substantia matrimonii: ita matrimonium contra prohibitionem Juris Civilis contractum illegitimum quidem sed tamen ratum, ita ut dissolvi nequeat, non nisi ex hypothesebus pontificiorum, matrimonium pro Sacramento habentium dici potest *vid. Petr. Gregor. Tholos. in Praelect. ad Tit. X. de Sponsal. c. 1. n. 77. Bellarmin. Lib. 1. de Sacr. Matr. c. 7.* quæ tamen ipsa hypothesis à nostratibus Theologis diu est explosa. Unde & ab ista distinctione abstinere malui, & hic conjugium sive nullum, sive prohibitum, sive non legitimum communi nomine illegitimi exprimere non vereor.

§. IV. Cum autem Leges connubiales diversi sint generis, naturales, divinæ positivæ, & civiles; hinc etiam conjugii illegitimi diversa erit consideratio, quam etiam tribus capitibus absolvemus. Hic ubi in genere conjugium illegitimum consideramus sufficiet illud juxta Leges Naturæ ex ipso conjugii genere & sine petitis examinasse, reliquam Tractationem de illegitimo Conjugio ex Jure divino positivo & Civili ad Capita sequentia reservantes.

§. V. Cavendum tamen nobis est, ne dum de Conjugio naturaliter illegitimo solliciti sumus, principium demonstrandi ex S. Scriptura depromamus & ita *μετάβασις εἰς ἄλλο*

4 CAP. I. DE CONJUGIO ILLEGITIMO PRINCIPIS

20^v committamus, quem errorem erravit Anton. à Mara, alias Schnegassus in *Tract. de Conjug. Jure Naturæ prohib.* ubi omnes prohibitiones conjugales quæ reperiuntur *Lev. 18. & 6. 20.* naturales esse adstruit, eo quod etiam Ethnici lege expressa positiva destituti *arg. Epist. ad Rom. C. 2. v. 14.* contra eas peccasse, adeoque propterea à DEO puniti esse dicantur *Lev. 18. v. 18.* Non enim sequitur, legem aliquam à Gentilibus observari debuisse, ergo eandem esse legem naturæ: potest enim esse lex divina positiva universalis æque omnes obligans homines. Ne quicquam autem ad jus naturæ provocat qui asserta sua ex legitimis principiis, naturæque rerum congruentibus demonstrare nequit vid. B. Pufend. de *J. N. & G. Lib. 2. C. 3. §. 13.*

§. VI. Unde nobis displicet ratio illa, probandi aliquid esse juris naturæ, à posteriori desumpta, ab eo, scilicet, quod apud omnes gentes aut moratiores tale esse creditur *Grot. Lib. 1. de Jur. B. & P. c. 1. §. 12.* Nam non solum sub judice adhuc lis est, quæ nam sit dicenda gens moratiores; sed ipsi etiam gentiles, qui obligationem harum prohibitionum, universalem agnoverunt, causam ejus tamen ignorarunt, eamque partim moribus, partim Juri Gentium, partim pudori naturali adscripserunt, uti ex iis patebit quæ Cap. seq. dicturi sumus. Taceo quod illi Philosophi Oratores & Poetæ, Græci atque Romani, ad quorum tanquam moratiores testimonia in probatione juris naturæ Grotius provocat in *Proleg. n. 40.* non longa terrarum intercapedine à se invicem discreti, ex perpetuo commerciorum usu, belli pacisque negotiis publicis, & vitæ ac morum convenientia facile in quasdam conditiones tacite transire potuerint, ut adeo ex usu communi & testimonio Gentium, Juris naturæ principium statui nequeat vid. Henniges ad *Grot. Proleg. n. 40. p. 37.* Pufendorf. *Lib. 2. C. 3. §. 7. & seqq.*

§. VII.



§. VII. Conjugium ergo illegitimum naturaliter demonstrandum nobis erit ex dictamine rationis rectæ, quod vel ex natura Societatis Conjugalis vel à fine ejus petendum erit. Cum ergo quælibet societas consensu contrahatur necessario etiam consequi videtur, quod si conjugium vel à persona usu rationis carente, vel dolo, errore, metu, initum sit, hoc adeo illegitimum esse, ut nec Indulgentia Principis confirmari possit, in præjudicium ejus qui deceptus vel metu compulsus est, quia Principes non solent in alterius injuriam beneficium alicui concedere *arg. L. 4. C. de emanc. liber.* nisi pariter decepti culpa concurrat, quod non diligentius inquisiverit in conditiones decipientis. Quorsum pertinet quæstio de matrimonio errore circa divitias, virginitatem vel statum inito, in cujus quæstionis decisione desudarunt quidem multi sed infeliciter; eam solide discussam vid. ap. Thomas. *in J. Pr. Div. Lib. 3. C. 2. §. 87.* quæ cum nitatur communissimis principiis intellectus & voluntatis, in ea non erimus operosi. Propius huc spectat quæstio, an matrimonium à personis vel consentiendi facultatem non habentibus, vel ad sobolis procreationem ineptis contractum, ita sit invalidum, ut à Principe confirmari nequeat? quæ ipsa mox erit resolvenda simulac reliquas voces in titulo hujus Dissertationis occurrentes evolverimus.

§. VIII. Nomine Principis nobis venit persona legislatoria potestate prædita; huic enim competit facultas legis impedimentum removendi, qui leges sancire potest *arg. L. 35. ff. de R. J.* Pontificii quidem facultatem dispensandi circa gradus prohibitos soli Pontifici asserere non verentur, ex falsa hypothese quod matrimonium sit res spiritualis, & quod diversa sit potestas circa secularia Principi: & spiritualia, Pontifici competens; hinc olim Principes circa matrimonia di-

6 CAP. I. DE CONJUGIO ILLEGITIMO PRINCIPIS
spensare noluerunt, & rescripta sua indulgentiæ tanquam
obreptitiè impetrata damnarunt vid. *L. 1. & 2. C. Si Nupt.
ex Rescript. pet.* Verum postquam hæc hypothesis per Re-
formatores Doctrinæ Evangelicæ explosa est & in Imperio
Rom. Germ. lege publica Jurisdictio Ecclesiastica (uti eam
vocant communiter) restricta est intra Principum Evange-
licorum Territoria vid. §. *Jus Diocesatum 48. Inst. Pac. Art. 5.*
contradictiones pontificiorum in auram resolvuntur, & Prin-
cipes Evangelici multo liberiori potestate circa sacra fruun-
tur quam principes Romano Catholici, quorum maximam
partem Jurium majestaticorum Pontifices sub prætextu po-
tæstatis Ecclesiasticæ adhuc exercent.

§. IX. Indulgentia Principis nobis denotat clementiam
vel propensionem ad gratificandum, quando ad instantiam
suppliciter rogantis impedimentum quod conjugio obstabat
removet. In quo sensu alias à Canonistis solet usurpari vox
dispensationis vid. *C. 4. X. de Concess. pr. ab. C. 13. X. de Restit. Spol.*
quæ quamvis hodie usu recepta sit, nobis tamen non fuit
visa congrua huic Disputationi; quia dispensatio denotat
dissolutionem legis futuro matrimonio obstantis vid. *Petr.
Greg. Tholosan. in Comm. ad Tit. X. de Rescript. Lib. 1. C. 32. n. 1.*
Hic autem dispiciendum nobis est de Gratia Principis, qua
non solum impedimentum matrimonio contrahendo ob-
stans removetur, sed etiam qua ipsum conjugium illegitime
contractum vel toleratur, vel quoad effectus civiles inde re-
sultantes confirmatur, ejusque poena remittitur, quam ipsam
Principis gratiam commodius voce Indulgentiæ exprimere
posse existimavimus; hac enim voce & Jcti nostrates in
eodem quæstionis genere usi sunt vid. *L. 31. ff. de R. N. L. 1. C.
Si nupt. ex Resc. pet.*

§. X. Matrimonium illegitime contractum nullos legi-
timi

timi matrimonii habet effectus. Nam nec maritus nec uxor nec dos intelliguntur, nec liberi ex eo nati legitimi sunt §. 12. *Inst. de Nupt.* & illud protinus est dirimendum *L. 4. & 6. C. de incest. nupt.* aliisque poenis coercendum vid. *aut. incest. nupt. C. d. Tit.* quæ hodie pro diversitate & magnitudine delicti, diversæ sunt vid. *Carpz. Prax. Crim. Q. 72. 73. 74.* Quod si tamen à Principe sit confirmatum, ex eo tanquam ex legitimo matrimonio effectus antea recensiti resultant, & quidem omnes: si ipsum matrimonium plene sit confirmatum *arg. L. 31. ff. de R. N.* quod si autem confirmatio non sit plena, sed ratione quorundam effectuum *arg. L. 57. §. 1. ff. de R. N.* illam ad alios effectus minime extendendam esse arbitror *arg. L. 2. 4. 6. 7. C. de sentent. pass. & restit.* Non ergo hic, uti nec alias, locum habet regula: Beneficia Principis latissime esse interpretanda; desumpta ex *L. 3. ff. de Const. Princip.* nisi alia ratio probabilis interpretandi voluntatem Principis dubiam, probabilem suadeat extensionem.

§. XI. His præmissis jam repetenda est quæstio ex §. 7. an conjugium à personis sub patria potestate constitutis initum invito patre, Indulgentia Principis confirmari possit? sententia vulgaris *Goehausen P. 3. Peric. Acad. Quæst. 36. Belarmini de Matrimon. Sacr. c. 9. Wefenbec. ad Pr. n. 7. Inst. de Nupt.* est, quod ad conjugum liberorum naturaliter consensus parentum non necessario sed saltem de honestate requiratur; cui consequens est conjugium huiusmodi confirmatione Principis non indigere. Propius ad veritatem accedit sententia illorum qui statuunt, consensum parentum quidem necessario requiri ad nuptias liberorum legitimas, non tamen matrimonium propterea dirimendum esse, quod absq; consensu parentum sit contractum, præsertim si amplius res non sit integra & copula carnalis jam tum intercesserit vid.

Schnei-

Schneidevv. *ad Inst. de Nupt. part. 2. n. 35.* quam sententiam etiam hodie in Consistoriis & in praxi usitatam esse confirmat Carpzov. *Lib. 2. Jur. Pr. Consist. def. 60.*

§. XII. Verum neutra mihi rem acu tangere videtur, hæc quæstio enim non uno modo expediri potest, sed distinguendum est, an filius adhuc sit in potestate patris an verò potestate patria exierit. Posteriori casu quamvis reverentia parentibus ob memoriam pristinæ generationis & educationis debita exigat ut liberi parentum consensum in nuptiis contrahendis adhibeant, nuptiæ tamen propter omissum reverentiæ debitum non erunt nullæ. Quod si verò liberi adhuc sint sub patria potestate nec adhuc perfecte educati ut seipsos alere possint, & tamen absque parentum consensu matrimonium contraxerint illud plane nullum esse existimo; hic enim actus quo matrimonium contrahitur, est maximi momenti & interesse parentum respiciens, quibus invitis onus alendi personam adductam obtruderetur si indulgentia principis confirmaretur hujusmodi conjugium, quod illis invitis est contractum vid. Dn. Thomaf. *Jur. Pr. Div. Lib. 3. c. 4. §. 76.* Non metuimus fulmen anathematis quod Concil. Trident. *Sess. 24. in Decret. de Matrim. Clandest.* minatur illis, qui affirmant, matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita reddere posse. Ipsi enim Patres Concilii Tridentini proprio se jugulant gladio dum in fine istius capituli fatentur, DEI Ecclesiam ex justissimis causis clandestina matrimonia semper detestatam esse & prohibuisse.

§. XIII. Quod si verò liberi jam educati & adulti matrimonium invitis parentibus contraxerint, paratique sint abire familia paterna, & propriis vivere laribus, tunc principem hoc matrimonium confirmare posse arbitror; quia
hic

INDULGENTIA CONFIRMATO IN GENERE.

hic cessat præjudicium patris propter quod *in §. preced.* matrimonium indulgentia Principis confirmari non poterat. Et quamvis liberi parentibus suis perpetuo reverentiam debeant, actus tamen liberorum contra solam reverentiam initus non potest reddi irritus *arg. L. 25. ff. de R. N.*

§. XIV. Neque huic sententiæ praxin adversam esse arbitror. Quamvis enim ex sententia *Carpz. c. l. n. 6.* Principes non soleant rescindere matrimonium à liberis, parentibus invitis, contractum, copula carnali firmatum; hoc tamen verum saltem est si altera pars dolo careat. Imò hoc in casu ad solam copulam carnalem respiciendum non est, sed ad alias etiam circumstantias, utrum scilicet filius sit adultus & se atque conjugem suam absque auxilio patris alere possit; item utrum parentes filii sui conversationem familiarem cum fœmina honestæ conditionis sciverint, nec tamen eam de dissensu suo certiozem fecerint *vid. Jur. Prut. Lib. 2. Tit. 1. Art. 1. §. 4. vid. Dn. Bruckner. Decis. Matr. c. 2. n. 124.* Quibus casibus si matrimonium invit s parentibus contractum confirmatum fuerit, parentum potestas non violatur, quia hodie per matrimonium & separatam œconomiam patria potestas solvitur *vid. Mev. ad Jus Lubec. L. 3. Tit. 3. n. 24. Cz. P. 2. C. 10. def. 3. Dn. Stryk. Us. Mod. ff. de Adopt. & Emanc. §. 23.* nec adempta est parentibus facultas injuriam reverentiæ læsæ per exheredationem vindicandi *vid. Fachin. Lib. 3. Controv. C. 44. Carpz. Lib. 2. Juris Prud. Cons. def. 61. P. L. R. L. 2. T. 1. Art. 1. §. 4. in fin.* Alias si conjugium esset contractum invit s parentibus, à liberis in potestate parentum constitutis nondum perfecte educatis, hoc adhuc hodie arbitrio parentum dissolvi posse arbitror *arg. §. 4. verb. Wann die Manns Person zu ihren vollständigen Jahren kommen. Juris Prut. Art. 1. Tit. 1. L. 2.* etiamsi copula carnelis vel juramentum intervenerit, ita enim dolo alterius decepti esse videntur.

B

§. XV.

§. XV. Huic sententiæ nostræ etiam Jus Divinum est conforme. *Numer. 30. v. 4.* legitur quod pater possit irritum reddere votum filiaæ suæ, & *Exod. 22. v. 16.* quod pater possit rescindere desponsationem filiaæ inscio parente factam, licet concubitus accesserit. Hos textus quidem Bellarminus restringit ad filiam nondum adultam, quæ adhuc est in ætate puellari *c. 20. de Matrim.* Verùm contextus *d. Cap. 30. Num.* ostendit, ibi non esse sermonem, qua ratione à patre dissolvi possit votum, quod à filia ex imbecillitate iudicii factum est, uti vult Bellarminus *d. l.* sed ibi disponi, quod pater, maritus, vel dominus vi potestatis suæ vota filiaæ, uxoris, ancillaæ vel servi, vel confirmare vel dissolvere possit. Cum ergo filius æque in potestate parentum sit, nulla ratio dari potest quare hic indulgentior haberi debeat ita ut ab eo contractum conjugium invitis parentibus dissolvi nequeat. vid. Bruckner. *C. 2. Dec. Ma. n. 19. & seqq.*

§. XVI. De aliis personis consentiendi facultatem ex defectu rationis non habentibus, quales sunt furiosi, mente capti, summe ebrii hic nihil dicam, quia cuilibet satis constat, actum ab his personis tempore mentis insanæ gestum nullius esse momenti. Gravior est disceptatio an matrimonium ab his contractum qui finem conjugii obtinere nequeunt sit legitimum? Et quidem de matrimonio Eynuchi varia scripta hoc seculo publici Juris facta sunt, ut actum agere viderer si rationes quibus in utramque partem disputari posset, hic repeterem atque examinarem, postquam hoc jam ab aliis eruditione atque iudicio præclaris præstitum est, quibus me impari esse libenter profiteor vide interim Bruckner. *Decis. Matr. C. XI.*

§. XVII. Ex libertate Academica tamen exponam saltem quid ipse sentiam. Eynuchi conjunctionem cum foemina

mina, ex dictamine rationis pro matrimonio habere nequeo; quia neque primario neque secendario intendit sobolis procreationem, sed saltem libidinis expletionem, nemo autem facile dixerit conjunctionem solius libidinis causa factam matrimonium esse, alias & simplex scortatio nomine matrimonii veniret vid. *C. 1. Caus. 2. Q. 2.* Non obstat quod ex B. Lutheri *Comm. ad Genes. 24. Tom. 9. Altenb. p. 697. b.* affert Dn. Brückner. *c. l. n. 18.* & eorum conjugia, qui uxores ducunt vitandæ fornicationis gratia esse honesta. Unde Dn. Brückner. concludit, matrimonium esse, licet finis primarius cesset si adsint fines secundarii, vel libidinis implementum, vel mutuum adiutorium, quapropter senum, sterilium, & aliorum qui impotentia coeundi laborant, conjugia legitima esse existimat *d. L. n. 34.*

§. XVIII. Hoc notari velim B. Lutherum *d. L.* non omnem conjunctionem libidinis explendæ causa factam mox pro matrimonio habere, sed illam duntaxat, ubi primario libidinis gratia secundario prolis procreandæ causa consociatio fit: *Secundus, inquit, gradus (sc. conjugum honeste contrahentium & cohabitantium) est eorum qui uxores ducunt vitandæ fornicationis gratia. Non averfantur aut oderunt prolem, sed principalis eorum finis est, ut caste & pudice vivant.* Dum enim matrimonium hodie marito & uxori maxime est onerosum *arg. Genes. 3. v. 16. 17. 18. 19.* ne homines hoc onus subire detrectarent, & ita brevi genus humanum deficeret, stimulus ad diversum sexum cuilibet à DEO inditus esse videtur, non ut scortationibus & concubitu libidinoso reprimetur, sed ut propagationi generis humani subordinaretur. Ad quam quidem obligantur homines, quia (1) obligantur ad custodiendam societatem cujus fundamentum est matrimonium *Pufend. Lib. 2. de J. N. & G. C. 1. §. 7.* quia (2)

æqualitatis studium eos jubet sibi & sociis suis de futuris sociis iterum prospicere, quod à majoribus factum est; alias facile eveniret ut omnium longævissimi homines sociis destituti, vitam ducerent miserrimam Dn. Thomas. *Jur. Prud. Div. L. 3. C. 2. §. 49.* Sed quis fateretur hanc obligationem etiam ad se pertinere, nisi in se deprehenderet maximam propensionem ad conjunctionem cum individuo diversi sexus. Unde quamvis pauci obligationem ad matrimonium ineundum sentiant ex dictamine rectæ rationis, sufficit si stimulo huic dictamini succenturiante ad conjugium ineundum ferantur, quia & sic genus humanum conservatur. Nam per generationem simul extinguunt libidinem, non vice versa. Et hæc causa est quare matrimonium ex stimulo libidinis extinguendæ contractum habeatur pro vero & honesto. Non tamen exinde sequitur quod conjunctio libidinem solùm extinguendi mox sit matrimonium vid. *C. 6. C. 32.*

Q. 2.

§. XIX. Quod attinet conjugia senum, sterilium & similia, horum matrimonia non propterea reputantur pro legitimis, quod propter mutuum adjutorium contracta sint; alias sequeretur quamlibet societatem mutui adjutorii gratia initam, licet non adsit corporum conjunctio, matrimonium esse; sed quia in his omnibus spes est, naturaliter ab iisdem sobolis generationem obtineri posse vid. Illustr. Dn. Stryk. *in Not. ad Jus Eccles. Brunnem. L. 2. c. 17. §. 2. ad verb. Dissuadendum ob multas rationes.* Dn. Thomas. *Jur. Prud. Div. Lib. 3. c. 2. §. 194. & seqq.*

§. XX. Quamvis ergo consociationem Eunucli cum foemina libidinis gratia factam pro legitimo conjugio haberi non posse existimem, non tamen negaverim, hanc societatem naturaliter esse illicitam, quia moralitas libidinis ex dictamine

Stami-

Examine rationis, abstrahendo à revelatione difficulter probari potest vid. Dn. Thom. *d. L. §. 143.* Utrum autem expediat Reipub. si Princeps hanc consociationem castrati confirmet vel toleret? quæstio est politica quam hic examinare nolo vid. interim Dn. Stryk. *in Not. ad Brunnem. Jus Eccles. Lib. 2. C. 17. §. 2. ad verb. scienter contrahant cum inhabili.* Sicut nec eam quæstionem hic agitare volo, an hæc conjunctio sit contra jus divinum revelatum? Hic enim ubi saltem de conjugio naturaliter illicito principis indulgentia confirmato disquirimus, vitio nobis verti non debet, quod ex dictamine rationis ex ipsa conjugii natura petito, concubitum aliquem vel pro matrimonio, vel pro licita scortatione reputaverimus, etsi lege divina revelata hic actus sit damnatus, uti accidit in quolibet concubitu libidinoso extra matrimonium *arg. Epist. ad Rom. c. 7. v. 7. junct. Epist. 1. Corinth. 7. v. 2. C. 3. C. 32. Qu. 2.* Noluit enim S. Numen ut homo societatem hanc maxime naturalem ad ductum solius rationis iniret, quapropter eandem variis legibus positivis circumscripsit, quæ cum adhuc hodie omnino matrimonium reddant vel legitimum vel illegitimum, in capite sequenti inquirendum nobis erit, qua ratione indulgentia Principis conjugium ex lege divina positiva universali illegitimum confirmari possit vel non.

§. XXI. Negat quidem Dn. Brückner *in Proæm. Decis. Matr. n. 40.* dari leges positivas universales. Verum ratio, qua utitur, saltem directa est contra Huberum *de Jure Civit. Lib. 1. c. 5. §. 5.* & id saltem evincit: leges Mosaicæ non esse morales, etsi earum probabilis sit ratio honestatis, quatenus certum est differentiam rerum hominumque nullam esse. In quo ei omnino adstipulamur; nam ratio honestatis vel moralitatis legum Mosaicarum non in eo quæ-

14 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
 renda est, quod nulla sit hominum & rerum differentia, vel
 quod leges istæ adhuc hodie ad statum nostrum & homi-
 nes applicari possint; sed potius in voluntate legislato-
 ris, quod DEUS eas non ad solos Judæos sed ad omnes ho-
 mines pertinere voluerit vid. Dn. Thom. *Jur. Pr. Div. L. i. C.*
4. §. 87. Leges enim quæ non necessariam convenientiam
 vel disconvenientiam cum natura hominis sociali habent, &
 tamen à DEO homini totum Genus humanum repræsen-
 tanti datæ sunt, vel contra quas etiam Gentiles peccasse le-
 guntur, quin statuerem esse leges positivas universales,
 Bruck. *d. loco* nullam dedit rationem validam.

CAP. II.

De

CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI ILLEGITIMO, INDULGENTIA PRINCIPIS CON- FIRMATO.

SUMMARIUM.

<p><i>Quenam conjugia ex Indulgentia Principis vel dispensatione Papali legitime contrahi possint? Doctores non conveniunt. §. 1.</i></p> <p><i>Ex primaeva conjugii institutione colligitur Polygamiam esse illicitam. §. 2.</i></p> <p><i>Quod clarius probari potest, non</i></p>	<p><i>quidem ex ratione naturali. §. 3.</i></p> <p><i>Sed ex ratione qua utitur Christus in prohibitione divortii. §. 4.</i></p> <p><i>An Polygamia Principis Indulgentia confirmari possit. §. 5. 6.</i></p> <p><i>Pœna bigamie à Principe remitti potest. §. 7.</i></p>
--	---

An

An præter adulterium & malitiosam desertionem alia dentur causa ex quibus dissoluto matrimonio ad alia vota legitime transire liceat. §. 8.

Matrimonium inter parentes & liberos non est illegitimum ex dictamine rationis. §. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Sed ex jure divino positivo universali. §. 15.

Hujus prohibitionis Origo. §. 16. Extenditur illa inter ascendentes & descendentes in infinitum. §. 17.

An inter ascendentes & descendentes matrimonium de facto contractum Indulgentia Principis tolerari possit? §. 18.

Pœna ejus remitti, aliq. effectus legitimari possunt. §. 19.

Matrimonia fratrum & sororum non sunt naturaliter illegitima. §. 20. (22.

Sed jure Divino universali. §. 21.

Male à Brucknero hoc jus ad solos Judæos restringitur. §. 23. 24. 25. 26.

Matrimonium fratrum & sororum ex indulgentia Principis tolerari potest. §. 27.

Absq. metu incestus continuati. §. 28.

Matrimonium cum amita & matertera non solis Judæis est illegitimum. §. 29.

Sed & nobis. §. 30. 31.

Prohibitione illa continetur & fratris vel sororis filia. §. 32.

Et amita magna vel matertera magna; item fratris & sororis neptis vel proneptis. §. 33.

Non tamen omnes consanguinei. §. 34.

Justificatur Indulgentia Principis matrimonium cum amita matertera; fratris vel sororis filia confirmantis. §. 35.

Matrimonium inter affines ascendentes & descendentes est illegitimum. §. 36.

Non naturaliter. §. 37.

Sed Jure Divino revelato. §. 38.

Hoc indulgentia Principis regulariter tolerari nequit, sed dirimendum est. §. 39.

Pœna tamen capitalis remitti potest. §. 40.

Et hodie generaliter in pœnam fustigationis & relegationis est mutata. §. 41.

Matrimonium cum fratris vidua

dua est illegitimum non naturaliter. §. 42.

Nec solis Judæis. §. 43. 44.

Sed omnibus. §. 45.

Qua prohibitione & uxoris soror continetur. §. 46.

Ab his personis conjugium contractum non est rescindendum. §. 47.

Indulgentia Principis confirmari

potest conjugium cum patris vel avunculi vidua &c. §. 48.

An Conjugium comprivignorum fratrem communem habentium sit legitimum? 49.

Notatur Schneegass. etiam inter utriusq; conjugis consanguineos matrimonium illegitimum esse existimans. §. 50. 51. 52. 53.

§. I.

Vulgo quidem nota est regula Doctoribus fere communis, quod contra leges Divinas morales nulla valeat dispensatio vid. Carpz. *Lib. 2. Juris Prud. Consist. def. 190. C. 13. ubi Dd. X. de restit. Spol.* vid. Petr. Greg. Tholos. *in Comm. ad Tit. X. de Rescript. Lib. 1. c. 13. n. 7.* In eo tamen maximus est Theologorum & Juristarum dissensus, quænam sint leges morales. Hinc quandoque Pontifices circa matrimonia cum defunctæ uxoris sorore, cum fratris defuncti uxore, cum patris sorore & similia dispensasse notum est, hujusmodi matrimonia jure Divino morali non illegitima esse existimantes vid. Bellarm. *de Sacr. Matr. C. 27.* quibus etiam nostrates quidam adstipulantur vid. Bucholz. *Respons. Jur. pro Matrim. Princip. cum defunctæ uxoris sorore* vid. Dn. Brückner. *C. 5. Decis. Matr. n. 57. & seqq.* Ex §. fin. Capituli præced. jam tum in genere constat quasnam leges divinas pro moralibus seu universalibus reputaverimus. In specie autem hic leges recensendæ erunt, ex quibus conjugium hodie est illegitimum, contra quas quidem nulla fieri potest dispensatio, ita ut illarum obligandi vinculum sit dissolutum, conjugium tamen contra illas illegitime

illegitime contractum, quin indulgentia principis confirmari possit, saltem ut vel liberi exinde nati habeantur legitimi vel poena incestus remittatur, non dubito, uti hoc fiet manifestius in qualibet conjugii morali lege illegitimi specie.

§. II. A legibus antiquissimis initium est nobis faciendum. Ex *Genes. 2. v. 24.* communiter ferè colligunt quod polygamia simultanea plurium uxorum sit illegitima. Pontificii illam esse speciem adulterii contendunt vid. *Const. Crim. Carol. Art. 121.* ea propter quia conjugium est sacramentum Bellarm. *Lib. 1. de Matrim. Sac. c. 10.* cui quidem rationi nostrates assensum non præbent, conclusionem tamen exinde provenientes approbarunt vid. *Carpz. Lib. 3. Jur. Prud. Conf. def. 68. n. 10.* Et hinc Polygamia etiam poena capitali hodie solet coërceri *Carpz. Prax. Crim. Q. 66. n. 31. P. L. R. L. 6. T. 6. Art. 1. §. 5.*

§. III. Rationes autem quæ vulgo afferri solent ex distamine rectæ rationis contra Polygamiam hanc, ex zelotypia, discordiis domesticis, odiis novercalibus in ipsa prole continuandis, desumptæ, ostendunt saltem Polygamiam comitari quædam incommoda & molestias domesticas, saltem apud illas nationes ubi erecta nimis sunt foeminarum ingenia, & ubi obnoxii nimis uxoribus mariti vivunt, quibus incommodis nec caret monogamia, quæ tamen propterea illicita non est vid. *Dn. Pufendorf. Lib. 6. C. 1. §. 17.*

§. IV. Malo ergo ex lege divina positiva Polygamiam oppugnare, quam argumentis ex ratione petitis; quibus facillimis disjectu adversariis quibusdam occasio data est calumniandi Polygamiam hodie non modo licitam esse sed etiam præceptam, adeo ut Princeps peccet mortaliter, quod Polygamiam non revocet in usum vid. *Joh. Lyserus Tr. Polygamia Triumphatrix. Quod autem verba Genes. 1. v. 27. &*

18 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
c. 2. v. 24. vim legis habeant jam tum alii probarunt vid. Dn.
Thomas. *Jur. Prud. Div. Lib. 3. C. 3. §. 79.* Et quamvis in Ve-
teri Testam. ex indulgentia Divina Polygamia fuerit licita,
hodie tamen eam amplius legitimam non esse exinde con-
stat, quod authenticus legis divinæ interpret Christus. *Matth.*
19. v. 40. Institutionem Conjugii primævam ad usum revo-
caverit *conf. Marc. 10. v. 6.* quod itidem ab Apostolis incul-
catum esse videtur *1. Corinth. 7. v. 2. seqq.* Et quamvis dicti
textus divortium saltem improbare videantur, ratio tamen
prohibiti divortii etiam ad Polygamiam applicari potest.
Nam Christus *Matth. 19. v. 9.* rationem commissi adulterii à
marito divortium faciente, ponit in eo, quod aliam uxorem
duxerit; non, quod uxorem repudiaverit; ita enim solum fa-
cit ut uxor repudiata adulterium committat si alii nupserit,
Conf. C. 8. X. de Divortis, ut adeo mirum sit quare Dn. Bruck-
ner contenderit, quod Polygamia jure Divino sit licita vid.
C. 13. Decis. Matr. n. 31. ubi quidem *n. 58.* ad nostram ratio-
nem regerit, Christum rationem commissi adulterii in assump-
tione novæ Conjugis & repudiatione prioris simul pro-
pterea collocare, quia postquam maritus repudians aliam
uxorem duxit, spes reconciliationis cum priori uxore eva-
nescit & repudiatio tunc cum effectu facta esse censetur. Ve-
rum qua ratione dici potest quod spes reconciliationis eva-
nescat tunc quando maritus aliam ducit? quia, si Polygamia
est licita, non obstante conjugio posteriori maritus cum re-
pudiata uxore iterum reconciliari & sic polygamus fieri po-
tuisset. Unde ex sententia Salvatoris dicendum est, eum ad-
ulterium committere, qui cum vinculo conjugali uxori jam
tum alligatus sit, corpus suum cujus potestatem amplius
non habet *1. Corinth. 7. v. 4. ad Rom. 7. v. 2.* nihilominus alii
uxori tradit.

§. V.

§. V. Quod cum ita sit, nec indulgentia Principis Polygamia confirmari poterit, ita ut non sit contra legem divinam. Nam quod DEus prohibuit, homo non potest legitimum reddere. Non tamen omnem Principis indulgentiam hic excludendam esse arbitraverim, saltem ut hujusmodi Polygamia toleretur vel poena ejus remittatur si scilicet ita expediat Reipubl. vid. Dn. Stryk. *in Not. ad Brunnem. J. E. L. 2. c. 10. §. 1. ad Verb. Polygamia simultanea.* Imprimis si maritus non expetulantia quadam sed necessitate coactus V. G. pro obtinenda liberatione ex barbaro carcere, aliam superinduxisset uxorem. Exemplum hujus rei narrari solet de Comite à Gleichen qui captivus foeminam saracenicam ea conditione, ut ex carcere liberaretur, priori superinduxit, uxori; De quo facto, utrum vel quando contigerit disputari solet, ad probandam intentionem nostram sufficere potest, illud recensuisse exempli gratia, quia exemplorum non requiritur veritas. Huic exemplo alia quæ hoc seculo contigerunt, alterum in Belgio vid. Anton. Matth. *ad Lib. 48. ff. Tit. 3. c. 7. n. 8.* alterum in Saxonia vid. Bechmann. *ad Tit. ff. de Rit. nupt. n. 6.* jungi possunt. *Addatur & Historia Bigamiae Philippi Landgr. vii Hassie de qua B. Dn. à Seckendorf. Lib. 3. Histor. Lutheran. §. 79. Addit. 3.*

§. VI. Nam quamvis adhuc disputari posset, quod nec in casu necessitatis maritato liceat alteram superinducere uxorem, & quod mors potius eligenda sit; sicut nec adulterium in casu necessitatis committendum est: Quilibet tamen examinet seipsum, quid facturus esset si in tali necessitate constitutus, ubi vita in squalore carceris diutini ipsa morte durior, periculum non aliter evadere potuisset. Excusandus mihi videretur non damnandus. Princeps ergo dum Polygamiam ita contractam indulgenter tolerat, nec

20 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
contra regulas politicas: quia tolerantia hæc Reipublicæ non
est damnosa; nec contra Jus Divinum peccat: quia Poly-
gamia nullibi sub poena annullationis prohibita esse legitur.
Prohibentur enim multa fieri, quæ facta non rescinduntur
arg. L. 1. §. 5. ff. quando appell. Ulpian. Tit. 1. de Legib. vid. Lev.
20. v. 20. & 21.

§. VII. Quod autem ad poenam bigamiæ capitalem atti-
net, ea quemadmodum principis arbitrio sancita est; ita in-
dulgentia principis vel mitigari vel efflagitante Reipubl. sa-
lute plane remitti potest *arg. L. 35. ff. de R. J.* Lege divinâ
enim Polygamia poena nullibi dictata esse legitur. Imo etsi
argumentum à poena adulterii de Jure Divino capitali, ad si-
milem poenam Polygamia neciteres, non tamen hoc ipso ex-
cluderes indulgentiam Principis. Alibi enim demonstra-
vimus, poenas lege divina determinatas non ita fuisse præ-
scriptas principi, ut non, suadente id necessitate atque Rei-
publ. utilitate mitigari vel remitti possint, *in Diss. de Jure*
Princip. Pœnas Leg. Divin. determ. mitig.

§. VIII. Ex Institutione Conjugii primæva *Gen. 1. v. 27.*
etiam colligitur, Vinculum indissolubile matrimonio fuisse
à DEO adjectum. Nam rationes quibus adstruere conatur
Bruckner ex dictamine rectæ rationis, conjugium esse indis-
solubile *C. 13. Decis. Matr. n. 18. & seqq.* saltem evincunt, vel
libidinem vagam, sive momentaneam cohabitationem non
esse matrimonium, vel perpetuam conjugum cohabitatio-
nem, perfectiorem matrimonii esse gradum: Non autem,
quod matrimonium ad certum tempus quo soboles educari
potest, contrahi naturaliter nequeat. *vid. Dn. Thomaf. Jur.*
Pr. D. L. 3. c. 2. §. 112. Selden. de J. N. & G. Lib. 5. c. 7. In Veteri
quidem Testam. à Judæis hæc Lex divina non fuit observata
ex indulgentia Divini Legislatoris; eam tamen iterum re-
duxit

duxit Salvator, *Matth. 19. v. 9.* ubi ejus, qui dimissa priore uxore, alteram ducit, conjugium tanquam adulterium damnat, nisi priorem uxorem propter adulterium repudiasset *conf. Matth. c. 5. v. 32.* Rigidiores quam par est, hic sunt Pontificii, qui nequidem propter adulterium alterutrius conjugis, innocenti facultatem concedunt transeundi ad secunda vota, quæ tanquam illegitima damnant Bellarm. *Lib. 1. de Matr. Sac. c. 16. c. 12. X. de presumpt.* Nostrates ex duabus causis vinculum conjugale dissolvunt; ob adulterium & malitiosam desertionem *arg. 1. Corinth. 7. v. 15. junct. 1. Tim. 5. v. 8.* Sed annon indulgentia Principis fieri possit, ut ex alia etiam causa, dissoluto matrimonio priori, liceat inire matrimonium legitimum? Plures causæ divortii recensentur in *L. 8. C. de Repud.* quæ aliquantisper contractæ sunt in *Nov. 117. C. 8.* ut adeo ex his causis dissoluto matrimonio, conjugium postea contractum legitimum sit in foro soli; non vero in foro poli, nisi supponamus veram esse sententiam eorum qui statuunt, voce *πορνείας* sive fornicationis, quapropter divortium licite fieri concedit Christus, etiam alia delicta conjugis intelligi quæ in S. Scriptura vocabulo fornicationis denotari ostendit Selden. *Lib. 3. Uxor. Ebraic. c. 31. arg. Psal. 73. v. 27.* vid. Grot. *in not. Evang. Matth. c. 5.*

§. IX. Ordo nos vocat ad matrimonia quæ propter consanguinitatem & affinitatem illegitima habentur *Lev. 18.* De consanguineis antea, post de affinibus agendum, & inquirendum nobis est, quomodo indulgentia Principis legitimum fieri possit matrimonium. Quare inter est ut sciamus quibus nam personis & ex quo principio *Lev. 18.* interdictum sit matrimonium. Communis fere est consensus quod inter parentes & liberos nuptiæ sint prohibitæ *Lev. 18. v. 7. & 10.* Circa rationem prohibitionis autem magnus est dissensus

22 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
Jctorum & Theologorum. Pomponius in *L. 8. ff. de Ritu
Nupt.* moribus, non legibus introductum esse dicit, quod li-
bertinus matrem libertinam in uxorem ducere nequeat. Si
hoc, nihil obstaret quin filius indulgentia Principis, matrem
legitime in uxorem ducere posset, nam mores vel contra-
ria lege vel consuetudine immutari possunt vid. *L. 31. ff. de
Legib. L. 2. C. quæ sit longa consuet.* Paulus in *L. ult. ff. de R. N.*
jure Gentium incestum committi inter ascendentes & descen-
dentes existimat. Sed dubium adhuc est, quale Jus Gentium
Paulus intelligat? an illud, quod naturalis ratio dicitur, an
verò quod inter Gentes usu exigente observatur? Si hoc ul-
timum; iterum nihil obstaret, quin indulgentia Principis
crimen hujus incestus remitti possit; nam unà Gens mori-
bus suis alteram Gentem ita obligare nequit, ut ei à mori-
bus istis recedere non liceat vid. Dn. Thom. *L. 1. J. P. D. c. 2.*
§. 109.

§. X. Sed Paulus Jctus forsan videtur intelligere Jus
Gentium primævum, quod nititur ratione naturali. Nam
alibi, scilicet in *L. 14. §. 2. ff. de ritu Nupt.* contra naturale jus
& pudorem, conjugia parentum & liberorum esse existi-
mat. Sed iterum magna dubitandi ratio est, an non Jctus
per Jus Naturæ intellexerit inclinationem naturalem etiam
bestiis communem; Nam & Justinianus *Nov. 12. C. 1.* crimen
incestus hujusmodi contra naturam esse existimat, eo quod
irrationalia animalia ab eo abhorruerint. Verum ex instinctu
naturali jus naturæ nemo nostratum facile determinaverit.
Quod autem hodie abhorreamus à conjunctione cum pa-
rentibus vel liberis nostris, causa videtur esse prohibitio ista
severissima *Lev. 18.* quæ à teneris unguiculis nobis innotuit.
Nam inter Persas, ubi hujusmodi conjunctiones fuere licitæ
vid. *Nov. 154. in Princ. &c. 1.* talis horror sine dubio non ad-
fuit.

fuit. Imo etiam si concedamus Paulum Jctum non inclinationem illam bestiis communem sed dictamen rectæ rationis his conjunctionibus adversari statuisse, tamen, quod Juri Naturæ pudorem adjungat, non videtur subintelligere illud jus naturæ cujus contrarium est illicitum, sed saltem abusive quod magis est congruum vel quod ratio honestum & opposito melius esse svadet *arg. L. 42. ff. de R. N. vid. Grot. L. 1. de J. B. & P. C. 1. §. 10. n. 3.* Sed sic sequeretur, patri quidem licitum esse filiam in uxorem ducere, sed non esse honestum, quia melius est si aliam duxerit. Verum hæc collectio homini Christiano est indigna, qui nosse debet hujusmodi conjunctionem non solum esse inhonestam sed etiam illicitam atque turpem.

§. XI. Hanc difficultatem sensit Dn. Schultz. *in Disput. quod non vetat Lex, vetat pudor. § 14. Matr. Spec.* hinc pudorem obtinere locum non constituentis sed consequentis existimat, ita ut prohibitio hæc in matrimonio parentum & liberorum non constituatur quidem à pudore naturali, sed à lege naturali, actum tamen violatæ legis pudor consequatur. Verum ita sequitur matrimonium parentum & liberorum non magis contra pudorem esse quam reliqua delicta omnia, quia & hic in delinquente pudor violatæ legis consequi debet; ergo hoc Jctus *in d. L. 14. ff. de ritu nupt.* non videtur sensisse.

§. XII. Et si maxime hæc mens fuisset Jcti, adhuc tamen remanet dubium, unde lex naturalis prohibens conjugia parentum & liberorum, & turpitudinis inde resultans sit derivanda. *Grot. in Comm. ad Genes. 19. v. 31. & Lib. 2. de J. B. & P. C. 5. §. 12. n. 2.* ex reverentia parentibus debita turpitudinem hujusmodi conjunctionis derivat, quia filius, matris maritus, qui superior est lege matrimonii, non potest reverentiam

24 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
tiam eam præstare matri, quam natura exigit; nec patri filia
quia, quamvis inferior sit in matrimonio, ipsum matrimo-
nium tamen talem inducit societatem quæ illius necessitudi-
nis reverentiam excludit. Verum quemadmodum absur-
dum non est si maritus uxori ob virtutem & sapientiam &
nobilitatem reverentiam exhibeat & quidem majorem, quam
alias filii matribus suis exhibere solent: vid. Pufend. *Lib. 6.*
C. 1. §. 32. ita quoque absurdum non est si parentes reveren-
tiam sibi debitam liberis jam tum adultis remittant, & cum
iis honestam contrahant familiaritatem vid. Dn. Thomaf. *L.*
3. C. 2. §. 232. & seqq.

§. XIII. Huic autem familiaritati conjugali inter paren-
tes & liberos, quo minus honesta sit, pudorem obstare opi-
natur Dn. Pufend. *cit. Loc.* Verum nec hoc in aprico positum
esse videtur. Nam causa pudoris in genere hæc esse vide-
tur, quia post lapsum objecta movent sensus, & ea corporis
pars, qua venerus alitur affectus, oculis exposita, non solum
irritat libidinem quovis tempore paratam, sed etiam per
eam venerus affectus prorumpit; hinc pudoris esse credi-
tum est, eam partem sollicite obvelare, ne homines invita-
ret ad venerem etiam illicitam, neve manifestam reddat, de-
pravatam indolem humanam; hinc & legitimam coram
arbitris obire contra pudorem esse creditur.

§. XIV. Maximè autem pudor iste se exerit adversus il-
los quibus reverentiam exhibere, aut quos morum integri-
tate & gravitate præire debebamus, adeo ut qui per eundem
non reprimatur, quo minus illicitam venerem appetere ve-
reatur, maximè effrons & ad majora facinora proclivis esse
videatur. Et hæc causa est quare, si filius appeteret concu-
bitum cum matre, vel pater cum filia, pudorem violasse di-
catur, quia impudicus maxime est filius quod signa impro-
bitatis

bitatis suæ ne quidem erga matrem suam tegere possit; & pater maxime est improbus, quod cum filia suæ exemplum castitatis exhibere debuisset, & tamen erga ipsam argumentum libidinis ediderit. Verum si reverentiam pudori demas, quam remissibilem esse supra §. 12. diximus, & supponas connubia parentum & liberorum non fuisse lege divinâ revelatâ prohibitâ, non magis pudor erit impedimentum conjugii inter parentes & liberos, quam inter alias personas in quibus, quamvis causa pudoris sit, licite tamen eæ conjugia contrahunt *Thomas. Lib. 3. C. 2. §. 244.*

§. XV. Prolixiores in examinandis rationibus, quæ communiter ex dictamine rationis contra conjugia parentum & liberorum afferri possunt, fuimus propterea, quia *Bellarminus Lib. 1. de Matrim. c. 28.* & recentissime *Dn. Bruckner. Decis. Matr. C. 5.* alique statuunt: prohibitiones *Lev. 18.* quæ naturales sunt, quorsum referunt principaliter illicita parentum & liberorum conjugia, hodie nos obligare solum, reliquas saltem ad populum Judaicum pertinere existimantes. Verum quantum præsidii in rationibus istis pro demonstranda turpitudine conjugii parentum & liberorum ponendum sit, ex supra dictis facile constare potest; satius ergo erit turpitudinem ejus ex Lege divina positiva universali *Lev. 18. v. 7. & 10.* demonstrare. Et quamvis in ipsa lege divina Deus rationem prohibitionis in pudore collocare videatur; non tamen mox sequitur hanc rationem esse naturalem, & etiam absque voluntate divina revelata inferre prohibitionem vid. *Dn. Thomas. Lib. 3. C. 3. §. 138.*

§. XVI. Hujus prohibitionis Divinæ originem ab initio rerum derivare conantur Ebræi, & verba *Genes. 2. v. 24.* ita interpretantur: *Et deseret homo cubile patris sui* (abstinebit ab uxore patris seu noverca) & *matris suæ* (abstinebit à ma-

D

tre

26 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
tre sua) & *conglutinabitur uxori suae* (non alienæ uxori, non
puero:) & *erunt duo in carnem unam* (ergo à bestia abstinendum,
quæ cum homine in unam carnem coalescere nequit:) vid. Selden. *de J. N. & G. Lib. 5. C. 2.* Quicquid hujus rei sit,
obligationem prohibitionis esse universalem exinde satis
constat, quia Gentes hujus Legis prævaricatores, DEO abominabiles & poenas ejus promeruisse leguntur *Lev. 18. v. 24.*
& *seqq. Lev. 20. v. 23.* Unde nec à Principe connubia parentum & liberorum confirmari possunt.

§. XVII. Ex ratione Legis qua DEUS utitur in prohibitione conjugii parentum & liberorum colligitur, quod hæc prohibitio etiam ulterius sit extendenda; nam, cum prohibiti concubitus cum matre, hanc rationem, *quia est mater tua Lev. 18. v. 7;* & cum nepte hanc: *quod nuditas neptis sit propria nuditas Lev. 18. v. 10.* reddat, innuere videtur, quod ob pudendi rationem quæ reverentiæ his personis debitæ cohæret, nuptias in infinitum prohibere voluerit. Quo magis enim ascendis, eo majorem reverentiam debes ascendentibus; & quo magis descendis, eo major ratio pudoris est habenda, vid. Dn. Thom. *Lib. 3. c. 3. §. 143.* Huic accedit quod nomine patris matris, & liberorum etiam ascendentes & descendentes ulterioris gradus veniant vid. Grot. *Lib. 2. de J. B. & P. c. 5. §. 13. n. 4.* Selden. *de J. N. & G. Lib. 5. c. 1.* vid. *Luc. 1. v. 5.* ut adeo explodenda sit sententia Gretseri, Gothofredi, Angeli &c. statuentium, ultra quartum gradum ascendentium & descendentium conjugia adeo licita esse & legitima, si eo usque viverent, ut nec indigeant dispensatione Papali vid. Covarruv. *Torn. I. de Matrim. P. 2. c. 6. §. 6. n. 12. in fin.* Carpz. *Lib. 2. J. P. C. def. 73.*

§. XVIII. Hujusmodi tamen conjugia de facto inita, indulgentia Principis exusu & necessitate Reipubl. tolerata esse leguntur *NAV. 154. C. 1.* nec sine ratione vid. Petr. Gregor. Tho-

Tholos. *in Comment. ad Tit. X. de Rescript. Lib. 2. c. 24. n. 6.* Ubi enim delicta aliqua ex inolita quadam & inveterata consuetudine proficiscuntur, nec utiliter coerceri possunt, ea potius dissimulare, quam cum ruina totius Reipubl. castigare prudentis est principis vid. *c. 18. in fin. X. de præb. & dign.* Non aliter ut medicus inveteratos corporis morbos, quibus frustra vel noxie medicamenta applicarentur, dissimulare potius, quam cum discrimine totius corporis curare solet vid. Dn. Pufend. *Lib. 8. de J. N. & G. C. 3. §. 14.* Alias si absque præsentis Reipublicæ periculo fieri possit, potius hoc matrimonium inter ascendentes & descendentes contractum, dissolvendum est, ne per continuam cohabitationem crimen incestus continuetur. *L. 4. C. de incest. Nupt.*

§. XIX. Alii autem effectus civiles ex hoc nefario concubitu resultantes vid. *L. 6. & auth. seq. C. de incest. Nupt. P. L. R. Lib. 6. Tit. 6. Art. 3.* quin indulgentia Principis, in favorem liberorum legitimari, & poena ejus remitti possint non dubito, si justa adsit causa Principem ad indulgentiam remissionem permovens *arg. C. 6. X. de Consang. & Aff. Petr. Greg. Tholos. ad Tit. X. de Rescript. Lib. 2. C. 24. n. 6.* vid. Grot. *L. 2. de J. B. & P. c. 20. §. 24. n. 1.*

§. XX. Circa matrimonia fratrum & sororum eadem difficultates moveri solent, nec inter Doctores convenit, ex quo nam principio matrimonia fratrum & sororum sint illegitima. Alii ex Jure Naturæ vid. Anton. à Mare sive Elias Schnegass. *de Conjugio Jure Naturæ Prohibit. Conclus. 1. n. 5.* alii ex Jure Positivo divino solis Judæis dato vid. Dn. Bruckn. *c. 5. n. 6.* prohibitionem derivant. Illis, qui prohibitionem conjugii fratrum & sororum naturalem esse contendunt, eo quod ad Ethnicos etiam pertinuerit, diu in hærare opere pre-

28 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
tium non est; supra enim in *Cap. 1. §. 5. & 6.* hæc colligendi
ratio jam tum sublata est.

§. XXI. Majorem difficultatem nobis objicit Dn. Bruck-
ner. *cit. loc.* asserens matrimonia sororum & fratrum solis
judæis fuisse incestuosa, ne videremur ex concubitu ince-
stuofo primorum fratrum atque sororum nati. Nam si DEus
lege universali voluisset prohibere conjugia fratrum & so-
rorum, non necessitatem imposuisset hujusmodi matrimo-
nia initio rerum invicem contrahendi, quia eadem facili-
tate, qua unum par conjugum creavit, etiam plura, vel fal-
tem duo paria creare, & hoc ipso conjunctionem incestuo-
sam fratrum & sororum evitare & impedire potuisset. Sed
quanti hæc ratio sit momenti, operæ pretium erit inquisi-
visse.

§. XXII. Nolo hic Responsione illa uti, quod propterea
DEus unum par hominum creare maluerit, ut inter homines
ab eodem stipite sanguinem derivantes eo major necessitu-
dinis & amicitiae ratio haberetur, ne videar sapientissimum
opus creationis stolidam rationem humanam metiri; quare cau-
sam, cur DEus unum par hominum creaverit, inquirere super-
fedeo. Nec tamen absurdum quod Brucknerus commini-
scitur, quasi primorum parentum liberi incestas inter se con-
traxerint nuptias, sequitur exinde, si statuamus conjugia fra-
trum & sororum lege universali esse prohibita. Non enim
mox sequitur, quasi dixerimus, hanc legem jam tum Adamo
fuisse datam, & liberos Adami inter se coeundo contra eam
peccasse. Nam hæc lex potest Noæ data esse, quo facto,
etiam esset universalis quia & Leges quæ datæ sunt Noæ
omnes obligant homines. Imo etiamsi præcise determi-
nare non possimus, quod hæc lex data sit homini totum
Genus humanum repræsentanti, tamen ad ejus universalem
obli-

obligationem probandam sufficit à posteriori demonstrasse, DEum hanc legem etiam ab Ethnicis observari voluisse vid. *Lev. 18. v. 24. Selden. Lib. 5. C. 11. p. 620.*

§. XXIII. Sed audiamus quid ad hæc respondeat Dn. Bruckner. hic *d. l. n. 43.* arbitratur verba: *In omnibus istis polluta sunt &c.* non conjunctim sumenda esse, sed de iis peccatis duntaxat quæ contra Jus Naturæ commissa erant, & in Gentiles cadere poterant, alias itidem & Adami & Evæ liberi propter conjugia inter se invicem contracta, Jacobus propter conjugium duarum sororum, aut Judæi isti qui fratribus improlibus mortuis horum viduas duxissent juxta *Deut. 25. v. 5.* à DEO puniendi fuissent. Verum hæc sententia ex universalibus verbis redargui potest. Nam quæ sequuntur *Lev. 18. v. 26. Vos igitur custodietis legitima mea, & judicia mea, & non facietis ex omnibus abominationibus istis, nec indigena nec peregrinus, qui peregrinatur inter vos. Quoniam omnes abominationes istas fecerunt homines terra, qui fuerunt ante vos, & polluta est Terra.* Hæc verba de omnibus abominationibus loquentia, ut ad certa duntaxat, contra jus naturæ à Gentibus commissa peccata restringamus, integer contextus reclamare videtur. Nec adhuc dum expeditum est, concubitus parentum & liberorum de quo supra, multo minus concubitus cum nuru vel socru esse contra jus naturæ; quæ tamen omnia talia esse Bruckner. supponit *d. C. 5. n. 4.*

§. XXIV. Quod ad exempla attinet in quibus rationem restrictionis quærit Dn. Bruckner. etiamsi statuamus, tempore Adami & liberorum ejus, præceptum prohibens conjugia fratrum & sororum, vim suam nondum exseruisse vid. *Selden. Lib. 5. C. 1. p. m. 558.* non tamen sequitur, quod nec hodie obliget omnes homines, postquam satis clare edixit DEus non solum Israelitas & profelytos, verum etiam Gentiles à

30 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
Connubiis hujusmodi abstinere debere. Objectionem ab
Exemplo Jacobi qui duas sorores simul habuit uxores, vel
sola hac responsione elidere possumus, quod non exemplis
sed regulis judicandum sit. Hac etiam utitur B. Lutherus
Tom. XI. Witteb. Germ. p. 169. Verb. In der Theologia und in
der Schrift muß man sich dafür viel mehr hüten / daß einer
nicht also argumentire und schliesse: Jacob bricht hindurch/
und thut wider die gemeine Sitten / darum geziemet mir das
selbe auch zu thun? Nein lieber Brüder / es heist nego con-
sequentiam, das wil noch lange nicht folgen &c. *Ad Deut. 25.*
v. 5. infra differendi locus erit.

§. XXV. Et hæc responsione possumus etiam difficul-
tatem declinare, quam nobis ex Abrahami exemplo immi-
nere prævidemus; Sara enim Abrahami soror atque conjux
fuisse legitur *Gen. 20. v. 12.* Non est ut dicamus Saram fuisse
Abrahami sororem non propriè dictam, sed neptem vel fi-
liam ex fratre Harane, quemadmodum Lothus Haranis fi-
lius Abrahamo dicitur frater *Gen. 13. v. 8.* vid. *Selden. Lib. 5.*
C. 2. p. 564. Diserte enim ipse Abraham dicit: *sed & vere*
soror est, est enim filia patris mei, tametsi non sit filia matris meæ,
& facta est mihi in uxorem. Unde simul apparet Abrahamum
scivisse eam conjunctionem inusitatam fuisse gentibus, quia
credidit se non habitum iri Saræ maritum, si eandem soro-
rem suam ferret. Dicendum insuper est Indulgentissimum
Numen hæc & similia patrum exempla tolerasse, eaque
postea etiam approbasse. Quemadmodum enim Deus pro-
lubitu has leges dare, ita & ratione quarundam personarum
vinculum earundem solvere poterat, ita ut incestus vitium
in his conjunctionibus adfuisse minime videatur, manente
nihilominus obligatione universali.

§. XXVI. Aliter quidem de Conjugio Abrahamæ & Saræ
sen-

sentiunt Magistri Ebraeorum; recte namque filiam patris, id est, sororem non uterinam Noachidi jungi docent. Ex quorum mente inter Gentes ex Jure Naturali ratio consanguinitatis paternæ neutiquam habita est vid. Selden. *L. 5. C. 1. & C. 2.* Horum auctoritatem secutus esse videtur Dn. Bruckner. *C. 5. n. 50.* statuens: Principem posse dispensare circa matrimonium cum sorore consanguinea contrahendum, quasi illud saltem jure Mosaico, non universali interdictum sit. Verum an ex Ebraeorum interpretatione semper verus S. Scripturæ sensus haberi possit, ego quidem dubito, quia ex *Matth. 5. v. 20. & seqq.* apparet, ipsum Salvatorem eandem tanquam cavillatoriam quandoque rejecisse. Unde nobis satius erit verbis *Lev. 18. v. 8. & 9.* inhærere, adeoque ex illis asserere, quod conjugia fratrum & sororum germanarum, consanguinearum & uterinarum lege universali sint illegitima. Hoc etiam quosdam Gentiles agnovisse constat ex *Grot. Lib. 2. C. 5. §. 13. n. 6. L. 14. ff. de Ritu Nupt.*

§. XXVII. Non tamen asserere audeo, hujusmodi conjugia errore vel alia ratione de facto contracta indulgentia Principis tolerari non posse. Quamvis enim vitiose contracta sint, non tamen mox sequitur ea dirimenda esse; cujus rei indicium est, quod hujusmodi incestuosæ conjunctioni, non ut conjunctioni cum noverca *Lev. 20. v. 11.* & cum nuru *Lev. 20. v. 12.* poëna mortis, sed saltem excisionis dictata sit *Lev. 20. v. 17.* Unde colligere licet DEum non voluisse præcise, ut conjugium hoc morte contrahentium dirimeretur, sed vindictam sibi reservasse, nisi poënitentia sceleris agatur vid. Selden. *Lib. 7. de J. N. & G. C. 9.* Nec obstat quod poëna excisionis sæpe etiam de illis delictis prædicetur, quæ alias in foro humano poëna capitali ex mandato divino coercenda erant vid. *Exod. 31. v. 14. Lev. 20. v. 3. & 4.* Hoc ipso enim
DEus

32 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
DEus comminari voluit, etsi delinquens, quem ipse morte
puniendum esse voluit, in foro humano impunitus relin-
quatur, quod nihilominus DEO poenas vel aeternas vel et-
iam in hoc mundo daturus sit, nisi serio poenitentiam egerit:
de qua excisionis poena vid. Selden. *d. l. c. 9.* non tamen mox
concludendum est ex eo, quod excisionis poena alicui in sa-
cris literis dictata esse legatur quod etiam apud Judæos morte
puniendus fuerit vid. *Genes. 17. v. 14. Num. 19. v. 13. Lev. 19. v. 6. & seqq.* conf. Carpz. *Lib. 2. J. P. C. def. 83. n. 1. & seqq.* Joach.
à Beust *de Spons. & Matr. P. 2. Q. 52.* Dn. Lynker *in Anal. ad Struv. S. J. C. Tit. de R. N. §. 38.*

§. XXVIII. Sed diceres cum Grotio *Lib. 2. de J. B. & P. c. 5. §. 14. n. 1.* conjugia fratrum & sororum propter vitium permanens irrita esse, nec fratres & sorores salva conscientia sibi invicem cohabitare posse, quia hæc cohabitatio foret incestus continuatio, conf. B. Ziegler *ad Lancellot. Inst. Lib. 2. Tit. 13. §. 10.* Verum respondemus, crimen incestus continuati resultare ex legibus Civilibus *arg. L. 6. de incest. nupt.* quas Indulgentia Principis mutare, & huic conjugio incestuose contracto vitium adimere valet. Nec obstat quod hoc conjugium sit contra jus divinum, quod Princeps mutare nequit. Respond. est contra jus divinum, ne contrahatur; contractum ut toleretur, non est contra illud, quia Jus Divinum nullibi præcipit tale matrimonium dirimendum esse, sed potius ipse DEus illud tolerare videtur. Ipse Grotius etiam fatetur quod conjugium cum defuncti fratris vidua, vel cum defunctæ uxoris sorore tolerandum sit *arg. Canon. Apost. 19.*, qualia tamen conjugia etiam sunt contra Jus Divinum *Lev. 20. v. 21. vid. Vol. 3. Cons. Dedekeni Lib. 3. Sect. 1. Tit. 2. n. 2.* Struv. *S. J. C. Ex. 29. §. 50.*

§. XXIX. Ulterius in *Lev. 18. v. 12. & 13.* prohibitum est
con-

conjugium cum amita & matertera. Circa quam prohibitionem magna itidem est Doctorum contentio; quidam ad solos Judæos eam pertinere arbitrantur Bruckner. *C. 5. Decis. Matr. n. 60.* adeoque indulgentia Principis hujusmodi matrimonia legitima fieri existimant. Exemplo Amrami qui amitam suam duxerat, & ex ea Moysen & Aron susceperat *Exod. 6. v. 20. Num. 26. v. 59.* Verum ut hanc rationem operose diluamus, operæ pretium non est, quia ex §. 24. jamtum constat, quod exemplis probari nequeat, conjugia *Lev. 18.* vetita, hodie esse legitima.

§. XXX. Alii quidem prohibitionem hanc ad nos pertinere concedunt, sed eam ad alias personas in quibus est eadem sanguinis proximitas, extendendam esse negant; unde matrimonium cum fratris & sororis filia ex Indulgentia Principis legitime contrahi posse asserunt, quos refert Dn. Bruckner. *C. 6. n. 1. & seqq.* Sciens præterea rationem ex Veterum Fbræorum sententia depromptam vid. Selden. *L. 5. C. 10.* DEum quarundam personarum, quæ alias familiariter conversari solent, conjugia interdixisse, ne in observatus convictus occasionem stupri daret, si vitium stupri nuptiis purgari posset; propter quam rationem solum matrimonium cum amita & matertera illicitum esse credunt vid. Grot. *Lib. 2. C. 5. §. 14. n. 1.* Quia nec ipsi Fbræorum Magistri ei multum tribuunt vid. Selden. *d. L. in fin. d. C.* prolixè eam examinatam vid. ap. Dn. Thomas. *L. 3. C. 3. §. 109. & seqq.*

§. XXXI. Hoc præcipuum argumentum esse videtur quod DEus saltem conjugium cum amita & matertera, non autem cum fratris vel sororis filia interdixerit: quia alias matertera vel amita in matrimonio subiceretur fratris vel sororis filio, cui parentis loco erat, & cui fratris vel sororis filius reverentiam exhibere debebat, Fratris vero vel

E

soro-

34 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
sororis filia etiam alias patruo vel avunculo suo filialem
debet reverentiam, adeoque indecorum non est, si ei tan-
quam marito subjiciatur Hornejus *in Comp. Theol. Lib. 3. C. 6.*
§. 34. Verum quemadmodum contra reverentiam & pudorem
est, ducere filiam suam in uxorem; ita etiam contra
pudorem erit ducere illam quæ filia loco est, qualis est so-
roris & fratris filia; utut enim lege matrimonii sit inferior
marito, tamen societas conjugalis magis æqualis est quam
paterna, unde nec uxor tantam marito exhibet reverentiam,
quantam filia parenti præstare debet.

§. XXXII. Potius ex ratione ipsa qua Divinus Legisla-
tor in prohibitione matrimonii cum amita & matertera uti-
tur, colligimus, eum etiam conjugia cum fratrum & sororum
filiabus prohibere voluisse. DEus enim generaliter edixit,
conjugia inter proximos consanguineos non esse ineunda
Lev. 18. v. 6. & paulo post recenset personas quas pro con-
sanguineis proximis haberi voluit. In specie autem dum
materteram vel amitam ducere prohibuit, hanc reddit ra-
tionem, quia est matris vel patris tui proxima consanguinea
Lev. 18. v. 12. & 13. Atqui & frater fratri vel sorori, uti soror
fratri vel sorori, est proximus consanguineus, ergo ex mente
Divina & frater fratris vel sororis filiam ducere nequit, uti
soror fratris vel sororis filio nubere non potest.

§. XXXIII. Non etiam errabimus, si ex eo quod DEus
prohibuerit matrimonium illorum qui parentibus ejus de
cujus conjunctione quæritur proxime attingunt, hanc prohi-
bitionem etiam extenderimus in infinitum, ita ut qui avum
vel proavum proxime attingunt sanguine, neptem vel pro-
neptem ejus ducere nequeant; vel ut nepotes non possint
ducere eam quæ proavi vel proavia proxima est consan-
guinea. Quia in *Lev. 18.* vocabulum patris & matris in lato
signi-

significatu pro omnibus ascendentibus; & vocabulum filii pro omnibus descendentibus accipiendum esse supra §. 17. demonstravimus. Cui adeoque optime congruit Jus Civile, inter illas personas, quæ parentum & liberorum loco sunt nuptias prohibens in infinitum §. 1. 3. 5. *Inst. de Nupt.* quam Jus Can. ultra quartum gradum etiamsi adsit respectus parentelæ, & sic contra Jus Divinum nuptias permittere videatur *arg. C. 3. X. de Consang. & affin.* vid. Dn. Bruckn. C. 7. n. 28.

§. XXXIV. Sed diceres: si conjugia personarum omnium ad quas congruit ratio prohibitionis ex consanguinitate desumpta, à DEO interdicta sunt, sequitur etiam quod extensio Juris Canonici *Can. 17. & 18. & 19. Caus. 35. Q. 2. & 3.* ex eodem medio termino elicita, menti Legislatoris Divini omnino congruat, & sic nulli homini, ne quidem ex indulgentia Principis, licebit conjugium contrahere cum consanguinea vel cognata remotissima, cujus generationis recordatio habetur. Imo omne conjugium ex orbe proscribendum erit, quia omnes homines ex eodem principio sc. Adami & Evæ Conjugio prognati inter se sunt consanguinei Bruckner. C. 5. n. 41. Verum salva res est; hæc objectio nos deduceret ad absurdum, si ex consanguinitate promiscua legem divinam extenderemus; jam autem dum ex mente & ratione divina inter illas personas, quæ parentes ejus de cujus nuptiis quæritur proxime attingunt, conjugia in infinitum illegitima esse dicimus, multum discipamus ab extensione Juris Canonici, quod non habita ratione respectus parentelæ inter consanguineos & cognatos nuptias interdixit usque ad septimam generationem *ad. Text. & novissime usque ad quartum gradum C. 8. X. de Consang. & affin.*

§. XXXV. Unde quemadmodum in *Lev. 18. v. 12. & 13.* conjugia cum amita & matertera prohibita sunt; ita nec fra-

36 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
tris vel sororis filiam neptem proneptem &c. ne quidem ex
Indulgentia Principis tuto & legitime duci posse salva aucto-
ritate dissentientium existimaverim. Novi quidem praxin
hodiernam, quod & in his casibus dispensatio à Principe im-
petrari solet. Sed (1) non exemplis sed regulis judicandum
esse notum est omnibus. (2) Nolo etiam hanc Principis In-
dulgentiam iniquitatis accusare. Supplices enim ut plu-
rimum Principem accedere solent, postquam ad eum amo-
ris gradum pervenerunt, ut illæsa pudicitia & re integra re-
cedere non liceat, unde si Princeps publicæ honestatis gra-
tia horum precibus indulgeat peccare non videtur. (3) Im-
possibile est Principi cujuslibet negotii rationem reddere,
circa quam acutissimi Theologi & Jcti adhuc dissentiunt,
cujus dissensus examinandis rationibus si Princeps vacare ne-
cessum haberet, in aliis publicis negotiis, ad officium Princi-
pis proprie spectantibus Reipublicæ male consuleretur. Unde
Principis Indulgentia circa matrimonium de quo, an legi-
timum Jure Divino sit, adhuc sub Doctoribus lis est, non
hunc habet sensum, ut cuilibet illæsa conscientia liceat con-
jugium hujusmodi inire; sed potius cujuslibet conscientia
relinquere videtur, saltem effectum juris legitimi matrimo-
nii huic conjugio tribuit, ne personæ contrahentes habeantur
infames, vel alias Juris Civilis pœnas incurrerent, utque
liberi ex eo nascendi reputentur legitimi vid. *L. 57. §. 1. ff. de
Ritu Nupt.*

§. XXXVI. Præter rationem consanguinitatis etiam af-
finitatis ratio habita est in prohibitione Conjugali *Lev. 18.*
Circa quam si non major, certe non etiam minor est Do-
ctorum dissensus. Primò quidem de Prohibitione affinium
in linea recta ascendentium & descendantium qui parentum
& liberorum loco sunt, agendum nobis est; hæc exprimitur
Lev.

Lev. 18. v. 8. Non deteges nuditatem uxoris patris tui, quia est nuditas patris tui. v. 15. Non revelabis turpitudinem nurus tuae, est enim uxor filii tui, quare non revelabis ejus nuditatem v. 17. Non revelabis turpitudinem uxoris tuae, & filia ejus, filiam filii ejus, & filiam filiae ejus non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis concubitus scelus est.

§. XXXVII. Hanc prohibitionem universalem quidem esse statuit Dn. Bruckner. *in Proæm. Decis. Matr. n. 62. & c. 5. n. 4.* sed ex ratione naturali voluntate Divina comprobata. Nam reverentia & pudor ipsi naturale impedimentum est conjugii inter privignum & novercam, vitricum & privignam, eoque nomine allegat Grotium *Lib. 2. C. 6. §. 13.* Verum à Brücknero dissentit Grotius & hanc prohibitionem non ex ratione sed ex voluntate divina revelata derivat; & quidem recte: Nam licet supponamus reverentiam & pudorem naturale & perpetuum esse impedimentum conjugii inter parentes & liberos, quod tamen negavimus supra; hoc tamen suppositum, quod privigni vel vitrico vel novercæ ex dictamine rectæ rationis reverentiam præstare debeant, oppidò falsum est. Nam liberi parentibus ob beneficium generationis & educationis à parentibus acceptum iis obligantur ad reverentiam; sed ex quo nam fundamento privigni obligarentur reverentiam exhibere vitrico vel novercæ? Diceres: ex eo, quod vitricus vel noverca sit facta una caro cum matre vel patre privigni vel privignæ: unde quemadmodum filia matrem suam, ita & eum qui cum matre est una caro: & filius, uti patrem, ita etiam carnem patris scilicet novercam revereri tenetur. Respondemus, quod maritus & uxor sit una caro, fictionem esse juris Divini, quam homo sibi relictus absque revelatione divina ignoraret, ergo ex ea non potest conclusio Juris Naturæ elici.

§. XXXVIII. Satius ergo est veram sententiam ex vero non falso principio derivare, & prohibitionem hanc legi divinæ positivæ universali adscribere vid. *1. Corinth. 5. v. 1.* Non tamen negamus, DFum in prohibitione ista rationem habuisse reverentiæ, ad quam privigni vitrico & novercæ obligantur propter unitatem carnis parentum; & pudoris quem pater præ se ferre debet, eo quod nurus facta sit cum filio ejus una caro; hoc enim apparet ex ratione prohibitionis respectu novercæ: *quia est nuditas patris tui*; respectu nurus: *est enim uxor filii tui quare non revelabis ejus nuditatem*; respectu privignæ aut ejus filiæ: *quia est caro uxoris tue.* Ex qua ratione colligimus quod quemadmodum in linea ascendente & descendente consanguinitatis vid. supra §. 17. ita & inter ascendentes & descendentes affines nuptiæ in infinitum sint illicitæ.

§. XXXIX. Ex eo quod *Lev. 20. v. 12.* poena capitis plectendus esse legatur qui turpitudinem novercæ revelaverit, & qui cum nuru concubuerit; colligimus quod Princeps conjugium inter has personas illegitime contractum indulgenter tolerare nequeat, sed potius dirimere illud necessum habeat. Alios autem effectus quin Princeps remittere possit non dubito vid. §. 19. Quod in specie poenam hujus incestus capitalem attinet, hodie eam in poenam fustigationis & relegationis perpetuæ commutatam esse constat ex *Carpoz. Prax. Crim. def. 74. n. 9. P. L. R. L. 6. Tit. 6. Art. 3. §. 4.*

§. XL. Si eorum sententia, qui statuunt: Leges forenses Judæorum, ad alias Respublicas quoque applicabiles morales esse: & eum qui ex Jure Mosaico propter delicta contra Jus Commune commissa mortis reus erat, adhuc hodie capitaliter puniendum esse vid. *Wilhelm Zepper de LL. Mosaic. Lib. 1. c. 10.* omni exceptione esset major, nec Principes
poenam

poenam hujus incestus, de Jure Mosaico capitalem, potuissent immutare in fustigationem & relegationem. Verum Oppido falluntur illi, qui moralitatem legum Mosaicarum forensium ex ratione ad omnes Resp. applicabili metiuntur; ita enim Voluntas divina statui Civili subordinaretur; cum tamen, si ea sit universalis seu moralis, Status seu Republica secundum voluntatem divinam instituenda, & leges divinae universales in eam introducendae fuissent. Nec juvat dissentientes distinctio B. Zigleri *de Jur. Maj. Lib. 1. C. 5. §. 56.* inter formale & materiale legis forensis, ut hoc quidem; non illud hodie adhuc obliget. Nam quid haec distinctio in recessu habeat, ex descriptione formalis & materialis mox apparebit. Materiale legis est factum ipsum à lege notatum; formale autem est voluntas legislatoris hoc factum notantis. Quomodo autem factum vel materiale legis possit obligare, abstrahendo à Voluntate Legislatoris? non video, quia omne factum, si abstrahatur à circumstantiis lege praecipis vel prohibitis, est indifferens, non obligatorium. Unde non ex facto vel materia Legum Mosaicarum, sed ex voluntate & mente Legislatoris Divini Obligatio earundem est dimetienda: quae cum in Legibus poenalibus directa sit ad populum Israeliticum, rectius Theologi nostrates vid. B. Chemniz. *Loc. de Leg. Dei c. 4.* B. Gerhard. *de Leg. Cerem. & Forensi T. 3. C. 2.* statuunt, istas nos non obligare.

§. XLI. Ut ergo è diverticulo in viam redeamus, recte Principes poenam incestus inter affines descendentes & ascendentes, ex usu Reipubl. potuerunt immutare in fustigationis & relegationis poenam, quae justa est, si finis poenarum eâ obtineri possit vid. B. Pufendorff. *L. 8. C. 3. §. 23.* etsi quandoque gravius & severius hoc crimen punitum fuisse legatur. Quemadmodum ergo Princeps poenam capitalem im-

muta-

40 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
mutare poterat, ita & eandem quandoque plane remittere
potest, ob certas circumstantias in certis personis occurren-
tes vid. Dn. Pufendorff. *Lib. 8. C. 3. §. 15.* de qua re cum alibi
latius tractaverimus *Disp. de Jure Princip. Pæn. Leg. div. determ.*
mitig. hic ulterius differere superfedemus.

§. XLII. Ad prohibitiones *Lev. 18.* redimus, ubi & con-
jugia affinium in linea collateralis damnata esse leguntur.
Nam *v. 16.* legitur: *non deteges nuditatem uxoris fratris tui.*
Circa quam prohibitionem iterum Dd. discrepant, unde illa
oriatur? Carpz. *in J. P. Conf. L. 2. Tit. 6. def. 91. n. 2.* hujusmodi
conjugium nec jure naturali legitimum esse existimat. Sed
ita occasionem dedit aliis, qui nullam rationem naturalem
huic conjugio obstare deprehenderunt, statuendi, hanc pro-
hibitionem ad solos judæos spectare *arg. Deut. 25. v. 5.* & ho-
die nos non obligare.

§. XLIII. Nam Dn. Bruckner. *C. 5. n. 34.* existimat hanc
legem, de non ducenda uxore fratris, solis judæis latam esse,
ex ratione politica, ne liberi ex defuncto fratre nati, per li-
beros fratris superstitis, portione hereditatis paternæ defrau-
darentur: neve per duorum primogenitorum filiorum, ex
duobus fratribus ortorum, concursum, dissensiones & rixæ
orirentur. Cujus prohibitionis supplementum *Deut. 25. v. 5.*
esse existimat, ut si frater, relicta vidua, improles moriatur,
frater superstes, cessantibus istis rationibus, necessum habue-
rit, ducendi viduam defuncti fratris. Sed facile quidem lar-
gior *Deut. 25. v. 5.* ad solos judæos spectare, non quidem ex
ista ratione quam comminiscitur Bruckner, sed potius ob
specialem rationem Rempubl. Judaicam concernentem, ut
scilicet fratri defuncto semen excitaretur & tribus ejus con-
servaretur vid. *Numer. 36. v. 7. 8. 9.* vid. B. Gerhard, *Loc. de*
Conjug. §. 320. Est ergo Textus *Deut. 25. v. 5.* exceptio par-
tieu-

ticularis, regulæ universalis, quæ continetur *Lev. 18. v. 16.* Nam quomodo prohibitio de non ducenda fratris uxore, ob eam causam facta esse dici possit, ne defraudarentur liberi prioris matrimonii portione hereditaria, neve lites circa Jus primogenituræ orirentur, non video.

§. XLIV. Apud Ebræos quidem prærogativa primogeniti, ratione hereditatis paternæ, ex qua duas consequeretur portiones, fuit, præ reliquis liberis postea genitis vid. *Deut. 21. v. 17.* Tamen, quia frater superstes ad hereditatem fratris defuncti, qui liberos reliquit, adspirare non poterat, & liberi prioris matrimonii ab hereditate paterna excludebant fratres ex eadem matre quidem, sed diverso patre prognatos, uti ex communi Ebræorum sententia refert Selden. *Tr. de Success. in bona defunct. ad Leg. Ebræor. C. 6.* Cautione speciali opus non fuisse videtur primogenito ex fratre; Aut, si diceres, quod de facto absque ullo jure huic facile controversia moveri potuerit, plane licentia ad secunda vota etiam cum extraneo adimenda fuisset fratris defuncti viduæ, ne à liberis ex secundis nuptiis nascendis, prioribus controversia ratione hereditatis paternæ moveretur.

§. XLV. Rationem ergo, propter quam DEUS matrimonium cum fratria interdixisse videtur Brucknero, non aliter quam figmentum rationis humanæ appellare possum; DEUS enim nunquam nobis eam manifestavit, sed potius utitur alia ratione: propterea, scilicet, non detegendam esse fratris uxoris nuditatem, quia est nuditas fratris; quasi diceret: uxorem fratris per conjugium cum fratre transivisse in unam carnem, unde quemadmodum frater non potest ducere sororem, ita nec fratriam, quæ unita est fratri, & quasi soror est. Ex quo etiam colligimus, quod hæc prohibitione contineatur quoque sororius & uxoris soror, quia & sororius

F

cum

42 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
cum defuncta uxore per conjugium factus est una caro, &
hinc proximam consanguineum (*nempe sororem*) carnis suae
(*uxoris defunctae*) ducere nequit vid. Dn. Thomaf. J. Pr. Div.
Lib. 3. C. 3. §. 198. Selden. *Uxor. Ebraica* Lib. 1. c. 4. vid. B. Ger-
hard. *Loc. de Conjug.* §. 275.

§. XLVI. Novimus quidem quod Christoph. Joach.
Bucholz. in *Resp. quodam pro Matrim. Principis cum defunctae
uxoris sorore Anno 1652.* edito, statuerit conjugium cum de-
functae uxoris sorore jure Divino non esse illegitimum; &
hodie Doctores praeclearae eruditionis habeat consentientes
vid. Dn. Bruckner. *C. 8. per tot.* Sed novimus etiam quod
non inferioris notae Doctores Jcti atque Theologi se ipsi
oppulerint, quamvis aliquando veram sententiam falsis ra-
tionibus propugnauerint. Prolixum foret, ea quae hinc inde
fuerunt regesta, & in magna volumina relata publici juris fa-
cta sunt, examinare. Eo enim recidit omnis disputatio, an
Lev. 18. personae recensitae prohibeantur saltem? an vero pro-
hibitio ista extendenda sit ad alias personas, prius affirmat
Bucholzius cum suis asseclis; posterius Adversarii ejus inter
quos praecipui sunt D. Strauch, Havemann. & Tabor. existi-
mantes, non personas sed gradus *Lev. 18.* fuisse prohibitas; sed
ita occasionem dederunt Bucholzio, eam sententiam falsita-
tis arguendi, propterea, quia computatio graduum arte hu-
mana inventa & tum temporis incognita, non possit men-
sura esse prohibitionis divinae. Nos ergo assentimur qui-
dem adversariis Bucholzii, sed absque mentione paritatis
graduum, & prohibitionem *Lev. 18.* ad alias quoque perso-
nas arbitramur esse extendendas, non ex graduum paritate,
sed ex identitate rationis.

§. XLVII. Non tamen damnamus sententiam illorum
qui statuunt, matrimonium jam tum contractum cum uxori-
ris

ris sorore indulgentia Principis confirmari posse vid. Dn. Bruckner. *C. 8. §. 14.* imo consultius esse existimamus ut hoc matrimonium toleretur, quam ut rescindatur; utut de Jure Justiniano rescindendum esse videatur *arg. L. 4. junctā L. 5. C. de incest. nupt.* Nam quamvis S. Scriptura prohibeat, ne hujusmodi matrimonium contrahatur, nullibi tamen præcipit, ut matrimonium hujusmodi jam tum contractum dirimeretur. Huic matrimonio enim nulla poena Civilis à DEO est dictata, sed saltem comminatio sterilitatis *Lev. 20. v. 21.* vid. Musæus *Disp. de Conjug. § 118. & seqq.* Struv. *S. J. C. Ex. 29. th. 50.*

§. XLVIII. Idem judicium ferimus de Indulgentia Principis circa reliquas personas affines, quibus de jure Divino universalis nuptiæ sunt interdictæ. Quamvis enim saltem patruum viduam ducere interdictum sit *Lev. 18. v. 14.* Ex ratione tamen qua DEUS utitur: *est enim amita tua;* colligimus quod, uti DEUS noluit, ut quis duceret patruum viduam: quia per unitatem carnis cum patruo facta est quasi amita vel soror patris, & sic instar matris; ita etiam noluisse videatur, ne quis ducat avunculi viduam, quia & hæc quasi matris soror, & sic matris loco est. Ex eadem colligendi ratione concludimus, & conjugia patruum & avunculi, cum fratris vel sororis filii defuncti vidua contra mentem Legislatoris Divini esse, quia & hæc per conjunctionem cum defuncto marito in unam carnem, facta est patruo vel avunculo mariti instar filia. Item quia patruum & avunculi nomine & patruus avunculusque magnus venit, ejusque uxor per unitatem carnis facta sit amita magna vel matertera magna, hinc conjugia cum cognatorum, qui loco parentum & liberorum sunt, maritis & uxoribus superstitibus, prohibitioni Divinae contraria esse arbitramur vid. Dn. Thomaf. *Lib. 3. C. 3. §. 205.* Ut adeo si ex indulgentia Principis impetrata sit

44 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
licentia inter has personas conjugium legitime ineundi, non
tamen ita impedimentum juris Divini sublatum sit, ut quis
tutus in conscientia hoc facere possit. Nam, uti supra §. 35.
dictum Indulgentia Principis saltem removet impedi-
mentum civile, ut quis absque metu poenæ civilis hujusmodi
conjugium contrahere possit, qui tamen, quod spreverit pro-
hibitionem divinam, portabit iniquitatem suam, & privabi-
tur benedictione Divina *Lev. 20. v. 20. junct. Genes. 1. v. 28.* nisi
serio poenitentiam egerit, qua de re consulantur Theologi.

§. XLIX. Ultimo tandem loco Conjugia inter compri-
vignos, ex novo parentum matrimonio communem fratrem
vel sororem habentes Jure Divino prohibita esse nonnulli
existimant vid. Dn. Thomaf. *L. 3. C. 3. §. 151.* quo fine adhi-
bent textum *Lev. 18. v. 11.* qui quidem ex versione communi
de sorore consanguinea ex alia uxore nata non ducenda lo-
quitur, non tamen juxta sensum Textus Ebraici, ubi parti-
cipium activæ significationis Moledeth, non passivæ, exstare
dicunt, & textum ita corrigunt: *non deteges turpitudinem filiae
uxoris patris tui (id est Comprivignæ) postquam ea (noverca)
peperit patri tuo (sororem vel fratrem tibi communem cum
comprivigna) & ita (comprivigna mediante isto fratre com-
muni) soror tua facta est.* Ex cujus sententiæ suppositione
explodenda erit Juris Civil. dispositio §. 8. *Inst. de Nupt. L. 34.
§. 2. ff. de R. N.* ubi conjugium comprivignorum, etsi ex novo
parentum matrimonio communem fratrem habeant, pro
legitimo habetur: Alii tamen contendunt Molædhath abi-
cha in S. Scriptura nunquam participialiter sed semper sub-
stantive usurpari pro cognatione vel generatione paterna
vid. Dn. Bruckner. *C. 9. n. 10.* hinc, controversiam hanc relin-
quimus: linguæ Ebraicæ peritioribus, illi judicent, quænam
sententia mereatur assensum. vid. interim Gerhard. *de Conjug.*
§. 357. §. L.

§. L. Conclufifsemus hoc caput, & ad Conjugia jure Civili illegitima perrexiffemus, nifi fe obtuliffet fententia Eliæ Schnegaffi, ftatuentis; Conjugia privigni cum privigna; duorum fratrum cum duabus fororibus; patris & filii, cum matre & filia; vitrici cum privigni vidua; vidui defunctæ privignæ cum ejus noverca, Jure Naturæ effe illicita. Quo fupposito fequeretur, quod nec Indulgentia Principis hæc matrimonia confirmari poffent, ut illæfa conscientia hujusmodi matrimonia contrahere liceat. Cum ergo ex communi fere fententia ea habeantur omni jure legitima, ab inftituto noftro non erit alienum fententiam Schnegaffianam examinare, ne tenerioribus conscientis præter neceffitatem fcrupulus injiciatur.

§. LI. Suam fententiam ut probet Schnegaffius, fupponit, hujusmodi conjugia *Lev. 18.* effe prohibita, quam prohibitionem juris naturæ effe exinde colligit, quod etiam Gentiles eidem fuerint adftricti. Verum jam ab initio hujus Difputationis expofuimus, quid fentiendum fit circa hanc colligendi rationem, hinc ea hic repetere nolumus. In eo ergo maximus latitat error, quod hujusmodi matrimonia in S. literis prohibita effe exiftimet Schnegaffius. Affert quidem rationem fui afferti ex unitate carnis defumptam, & contendit generaliter prohibitum effe carnem carnis fuæ in uxorem ducere *Lev. 18. v. 6.* per copulam conjugalem autem ita unionem fieri, ut maritus qui effe caro uxoris, etiam fiat caro carnis uxoris, fcilicet ejus confanguineorum; Unde & carnem mariti, nempe ejus confanguineos cum carnibus uxoris, ejus fcilicet confanguineis, ita conjungi arbitratur, ut amplius inter fe nuptias contrahere nequeant.

§. LII. Sed Schnegaffius ea combinando in unam carnem, quæ longe à fe diftant, multum recedit à ratione Le-

46 CAP. II. DE CONJUGIO LEGE DIVINA POSITIVA UNIVERSALI
gislatoris Divini ab unitate carnis desumpta. Exemplo res
fiet clarior; sic DEUS prohibet matrimonium cum uxoris
filia vel neptis *Lev. 18. v. 17.* quia privigna seu filia uxoris, est
caro uxoris, unde recte hic quadrat prohibitio generalis,
quod maritus non accedere debeat ad suæ carnis sc. (*uxoris
defunctæ*) carnem sc. (*filiam vel neptem*) Verùm quando Schne-
gassius hac ratione etiam nuptias inter vitricum & privigni
viduam interdictas esse arbitratur, quod cùm vidua privigni
per conjugium sit facta unà caro cum eo, etiam una caro sit
cum mariti sui matre, quæ fuit uxor vitrici, ut adeo vitricus
non possit accedere ad suæ carnis (*sc. uxoris*) carnem (*sc.
uxorem privigni quæ per unionem conjugalem facta dicitur
una caro cùm socru sua*) aliter argumentatur ac ipse DEUS,
ex cujus mente quidem filia potest dici caro matris suæ, non
tamen caro vitrici sui. Nec privigni uxor potest dici unà
caro cum socru sua, quamvis fuerit unà caro cum filio ejus.

§. LIII. Idem dicendum est de privignis. Nam quam-
vis horum parentes per conjugium transierint in unam car-
nem; non tamen dici potest, quod & liberi uxoris, sint una
caro cùm marito, etsi sint caro uxoris: & vicissim quod li-
beri mariti, quamvis sint caro patris, sint etiam caro nover-
cæ, utut noverca sit una caro cùm eorum patre. Unde
quamvis DEUS interdixerit vitrico, privignam suam in uxo-
rem ducere, ex ista ratione, quia privigna est caro uxoris,
carnis suæ; non tamen dici potest, quod etiam comprivi-
gnus nequeat ducere comprivignam (*carnem*) patris (*carnis
suæ*) quia comprivigna cum patre comprivigni, hoc est vitrico
suo, nunquam à DEO dicitur una caro. Similiter & reliqua
conjugiorum genera, quæ ex eadem ratione contra *Lev. 18.*
esse dicuntur Schnegassio examinari possent, quo facto ma-
gnum appareret discrimen inter rationem Divinam, ex qua
&

& nos prohibitionem ad alias personas non expresse recensitas pertinere supra demonstravimus, & rationem Schne-gassii, quam nimis prolixè & in reliquis matrimonii generibus quæ Schne-gassio interdicta esse dicuntur, discutere, ni-mium dilataret hanc materiam, quapropter eam abrumpi-mus & ad Cap. seq. properamus.

C A P. III.

De

CONJUGIO JURE CIVILI ILLEGITIMO INDULGENTIA PRIN- CIPIS CONFIRMATO.

S U M M A R I A.

*Juris Civil. nomine, & Jus Ca-
non. & Pruten. hic denota-
tur. §. 1.*

*Leges matrimoniales duplicis
sunt generis, vel utilitatem
publicam, vel honestatem re-
spicientes. §. 2.*

*Jus Justinianæum in quibus
cum Jure Divino conveniat?
§. 3.*

In quibus discrepet? §. 4.

*An principis indulgentia possit
confirmari conjugium affi-
nium in secundo genere lineæ
ascendentis? §. 5.*

*Quomodo ex Indulgentia Prin-
cipis sponsam patris vel fra-
tris ducere liceat? §. 6. 7.*

*Inter cognatos spirituales & le-
gales conjugium non est legi-
timum, nisi ex indulgentia
principis? §. 8.*

*Jus Canon. longius recedit à
Jure Divino, ex ridiculo præ-
textu. §. 9.*

*Vera Causa prohibitionis Ponti-
ficæ. §. 10.*

*Inter Evangelicos in secundo
gradu lineæ equalis & ter-
tio, inæqualis, non nisi ex in-
dul-*

<i>dulgentia Principis legitimum est matrimonium. §. 11.</i>	<i>monium est permittendum. §. 14.</i>
<i>Causa indulgentiae arbitrio Principis est relinquenda. §. 12. 13.</i>	<i>Aliæ prohibitiones ex ratione politica recensentur remissive. §. 15.</i>
<i>Ex ratione Politica inter raptorem & raptam, non nisi ex indulgentia Principis matri-</i>	<i>Princeps potest matrimonium contra Leges Civiles contra-ctum dissolvere. §. 16. 17.</i>

§. I.

Juris Civilis vox aliquando latiore, aliquando strictiorem significationem habere videtur, uti constat ex collatione textuum §. 2. *Inst. de J. N. G. & Civ. L. 6. ff. de just. & Jur. L. 2. §. 5. ff. de Orig. Jur.* Nos Juris Civilis nomine in latissimo utimur sensu, quatenus quamlibet legem humanam à Legislatore humano latam denotat. Unde Juris Civilis nomine non solum Jus Justinianum, sed etiam Jus Pontificium & Jus Provinciale Prutenicum, nobis venit.

§. II. A Legislatoribus humanis namque variae circa matrimonium fuere leges promulgatae, diversum scopum habentes; vel ex ratione politica, ut matrimonium privatorum, quod est fundamentum omnium societatum, utilitati & saluti Reipubl. subordinaretur; vel ex conscientiae dictamine & pio affectu erga leges divinas, ut sanctissimarum legum divinarum quasi aliquod sint prae munimentum, & ut propter vicinitatem illiciti, id quod Jure divino licitum est horreatur conf. B. Gerhard. *Loco de Conjug. §. 345.* Quanquam Leges hujus generis potius regularum & canonum indolem habere debeant, quae non tam ex imperio civili, quam potius publicae honestatis nomine forent spontaneo motu observandae; quia, ut ordine & decenter omnia in Ecclesiis fierent promulgatae esse videntur; Interim si quis honestatem
atque

atque morum sanctitatem sponte obsequi nolit, Principis Christiani officium erit determinare, quo genere coercionis vitia emendari debeant vid. B. Dn. Pufend. *de Habitu Religion.*
§. 47.

§. III. Jus Civile Justinianeum in prohibitione nuptiarum partim cum Jure Divino convenit, partim etiam discrepat: In eo convenit, quod pariter nuptias parentum & liberorum, fratrum & sororum, & reliquorum collateralium ut & affinium, qui parentum liberorumque loco sunt, tanquam incestuosas damnet vid. *L. 8. L. 14. §. 2. L. ult. ff. de R. N. §. 1. 2. 3. 5. 6. 7. Inst. de Nupt. L. 4. §. 7. ff. de grad. & aff. L. ult. in f. ff. de cond. sine caus. L. 38. ff. de Adult. L. 14. §. 4. ff. de R. N. L. 5. §. C. de incest. nupt. L. 2. C. Si nupt. ex Resc. pet.* Quomodo autem hujusmodi matrimonia ex indulgentia Principis legitimiari possint *cap. preced.* dictum est.

§. IV. Discrepat autem à Jure Divino, vel quod matrimonium cum patruī vel avunculi vidua; item cum uxoris defunctæ sororis vel fratris filia nullibi interdixerit, qualia tamen conjugia Jure Divino illegitima esse supra §. 58. *Cap. præc.* diximus; vel quod matrimonium vitrici cum defuncti privigni vidua prohibuerit *L. 15. ff. de R. N.* Hodie quod Jure Civili omissum est, ex Jure Divino suppleri solet; & secundum genus affinitatis in linea ascendente & descendente attenditur *arg. d. L. 15. ff. de R. N.* & conjugia vitrici cum privigni defuncti vidua; ut & viduæ defuncti vitrici cum ejus privigno, illegitima sunt, quamvis Jus Can. hujusmodi matrimonia permittere videatur *arg. C. 8. X. de consang. & aff. fin.* vid. *Carpz. L. 2. Tit. 6. def. 101.*

G

§. V.

§. V. Et quamvis B. Gerhard. *in Loc. de Conjug. §. 353.* neget, hujusmodi conjugia, re integra, permittenda esse, quia contra publicam honestatem esse videntur conf. Schneidew. *in Comm. ad Inst. Tit. de arb. aff. n. 14.* Quia tamen publica honestas non aliunde oritur, quam ex lege Civili, communis autem sententia est, quod matrimonium cui saltem Leges Civiles & Canones impedimento sunt, ex dispensatione Papali licite & legitime possit contrahi, non video quare Principi sit deneganda potestas permittendi hujusmodi matrimonium vid. Joach. à Beust. *d. Spons. C. 3.* quanquam hoc facile concesserim, quod non expediat Principi, uti non aliis, ita nec hoc in casu lege humana duntaxat prohibito, absque discrimine & absque justa causa licentiam indulgere, hujusmodi matrimonium ineundi, quia ita vilescerent leges, quibus Princeps sanctitatem legum divinarum præmunire voluit.

§. VI. Et Sponsalium ratio à Jure Civili Justiniano in matrimoniis prohibendis habita est vid. §. 9. *Inst. de Nupt. L. 8. ff. de incest. nupt.* quo sponsam patris vel fratris in uxorem ducere interdictum est. Jure Divino universali quidem cum sponsa defuncti consanguinei crimen incestus committi nullibi legitur vid. B. Gerhard. *Loc. de Conjug. §. 361.* Sponsa enim patris vel fratris nondum est caro ejus. Hinc inter Noachidas non aliter fieri conjugia quam concubitu crediderunt Fbræorum Magistri, ex eo quod *Genes. 20. v. 3.* legatur: *Venit DEUS ad Abimelechum in somnio noctis, & dixit ad eum, ecce tu morieris propter mulierem, quam accepisti. Nam concubuit cum ea maritus; hoc est: Consummatæ erant nuptiæ ex coitu cum Abrahamo, ita ut adulterii reus fuisset,*
qui

qui cum Sara postea rem habuisset. Selden. *Lib. 5. de J. N. & G. c. 4.* Licet jure Civili Ebræorum, sponsalibus rite perfectis, mox necessitudo inter sponsam & sponsi consanguineos intervenerit, imo & adulterium cum sponsa committeretur si alius cum ea concubuerit vid. *Deut. 22. v. 23.* Selden. *Lib. 2. Uxor. Ebraic. C. 1.* uti & Jure Civil. Rom. *L. 13. §. 3. ff. L. 7. C. de Adult.* quo, nomine generi & nurus, sponsus & sponsa; item foceri & socrus, sponsorum parentes contineri dicuntur *L. 14. in f. ff. de R. N. L. 6. ff. de Gradib.*

§. VII. Hodie quamvis prohibita sint conjugia cum parentum liberorum, fratrum & sororum sponsis *P. L. N. Lib. 2. Tit. 2. Art. 2. §. 1. 2. 3. 4. & Art. 3. §. 2.* nec sine ratione, quia ut plurimum tanta inter personas desponsatas intercedere solet familiaritas, quæ non multum à corporum commixtione abfuit; quod si tamen suspicionem commixtionis carnalis vel juramento vel alia ratione excludere possint, quin ex Indulgentia Principis matrimonium contrahere possint non dubito vid. *Carpz. J. Pr. Conf. Lib. 2. Tit. 7. def. 122. n. 118.*

§. VIII. Propter Cognationem spiritualem de Jure Civili est prohibitum matrimonium inter susceptorem & susceptam *L. 26. C. de Nupt.* Jus Canon. cognationem hanc, & impedimentum conjugii latius extendit etiam ad consanguineos harum personarum vid. *Tot. Tit. X. de Cogn. Spirit. C. 3. de Cogn. Spirit. in 6to.* Hoc quidem ex communi fere Dd. nostratum sententia certum quod extensio juris Canon. in Consistoriis Evangelicis sit repudiata vid. *B. Chemniz. in Exam. Concil. Trident. P. 2. in fin.* Alberic. Gentil. *de Nupt. L. 5. c. ult.*

Carpz. *L. 2. def. 74.* Hoc tamen non æque certum est, cognationem spiritualem hodie non amplius esse impedimentum conjugii, uti videtur Lauterb. *in Comp. ff. de R. N.* Quia namq; Jus Civile, prohibens nuptias inter susceptorem & susceptam nullibi deprehenditur immutatum, sequitur etiam, quod ei hoc in casu standum sit, & quod susceptor susceptam nequeat ducere in uxorem nisi ex indulgentia Principis vid. Illustr. Dn. Stryk. *in Not. ad Brunnem. J. E. L. 2. C. 16. §. 19. Verb. cognatio spiritualis.* Idem ergo dicendum erit, de cognatione legali, quæ inter adoptantem & adoptatam impedimentum matrimonii constituit, etiamsi pater adoptivus filiam adoptatam emancipasset §. 1. *Inst. de Nupt.* hoc quia pariter non immutatum esse legitur, nec hodie inter has personas nisi ex dispensatione & indulgentia Principis matrimonium legitime contrahi poterit. Nisi dicere velles, Jus Civile in his casibus non fuisse receptum, quod cum difficulter probari possit, tutius legi inhaeremus, ne videamur Juri Principis quicquam derogasse.

§. IX. Jus Civile ergo, uti vides, non multum recedere videtur à Jure Divino; Verum Jus Canonicum plures excogitavit prohibitiones. Non sinistram Tyrannidis & avaritiæ suspicionem incurrunt Pontifices Romani, quod justo longius hic processerint. Nam dum prohibitionis matrimonialis usque ad sextum *C. un. Caus. 35. Q. 4.* septimum *Can. 2. Caus. 35. Q. 5.* & novissime quartum *C. 8. X. de Conf. & aff.* gradum, computationis Canonice, non alias reddiderint rationes, quam illius: ut propinquitas tot gradibus terminaretur, quot ætatibus, (quorum ipsis sex sunt) mundi generatio & hominis status finitur. *d. C. un. Caus. 35. Q. 4;* istius: quod

quod ultra septimum gradum nec consanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiantur, nec successio amplius prorogetur, nec generationis sit recordatio *d. C. 2. Caus. 35. Q. 5*; hujus: quod quatuor sint humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis; justam nobis dant suspicandi rationem, sub ridiculo & inepto prætextu, longe aliam prohibitionis matrimonialis subfuisse causam, quam omnibus modis occultare jussit ratio Status Pontificii. Quid enim mundi creatio, aut duratio ætatis humanæ? quid humores in corpore aut elementa ad prohibitiones matrimoniales?

§. X. Veram ergo causam prohibitionis istius male verbis alienis exponere: *Non alia de causa Romani Pontifices usq. ad quartum gradum prohibitiones has extendunt, nisi ut frequentiores essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in eam curiam confluit; & assignata sunt in Cancellaria pro singulis remotioribus gradibus pretia: nam propinquiores compositiones facere debent ingentes, ubi præsertim conjuges vel divites sunt vel magnates vel Principes. Et hoc procul dubio facit, ut leges Ecclesiastica, talium nuptiarum prohibitionem sint prorsus injusta ac nulla: non enim honestatem & decentiam respiciunt, aut in re ipsa æquitatem, sed solum proprium lucrum. Nemo enim cui tales dispensationes negentur, & quotquot eas petunt, tot eas accipiunt, solo pretio exhibito, imo nec à Papa quidem postulantur, sed prostant in publico officio, cuicumq. accedenti venales. Testimonium est domesticum Marci Antonii de Dominis *Tr. de Republ. Eccles. Lib. 1. C. 11. n. 78.* Excusare quidem hoc*



54 CAP. III. DE CONJUGIO JURE CIVILI ILLEGITIMO
hoc volunt alii Pontificii, culpam in illos, qui dispensationes postulant, devolvendo vid. Petr. Gregor. Tholos. *in Comm. ad Tit. X. de Rescript. Lib. 1. C. 24. n. 4.* sed quod hæc excusatio exculpet Pontifices, credat Judæus Apella,

§. XI. Postquam Principes Evangelici jugum Papale excusserunt, atque Jurisdictionem Ecclesiasticam cum reliquis juribus Territorialibus combinarunt vid. §. *Jus Diocesanicum 48. Inst. Pac. Art. 5.* hanc nimiam extensionem prohibitionis matrimonialis reduxerunt usque ad tertium gradum lineæ æqualis; ita, ut juxta ordinationes Ecclesiasticas eorundem, conjugium in secundo, æqualis; & tertio gradu, lineæ inæqualis, tam inter consanguineos quam affines non nisi ex indulgentia Principis legitime contrahi possit Carpz. *L. 2. def. 79. & 95. P. L. R. L. 2. Tit. 2. Art. 1. §. fin. & Art. 2. §. 7.* & si de facto contractum sit pœna relegationis coercendum est Carpzov. *Prax. Crim. Q. 74. n. 45. P. L. R. Lib. 6. Tit. 6. Art. 1. §. 4.* Quemadmodum autem hæc pœna illegitime contracti matrimonii indulgentia Principis vel in pecuniariam converti, vel etiam excertis causis plane remitti potest; ita etiam nullum dubium est, quin Princeps ex justa ratione possit indulgere licentiam, conjugium, in secundo gradu lineæ æqualis, & tertio gradu lineæ inæqualis, legitime & illæsa conscientia ineundi vid. Carpz. *L. 2. def. 113. & seqq.*

§. XII. Quænam autem sit justa indulgentiæ causa determinatum difficile est; hoc certum quod in gradibus

bus, qui divinis prohibitionibus propiores sunt, major & justior Indulgentiæ causa esse debeat. Quo major enim honestatis ratio est in prohibitionem matrimonii, eo difficilior Princeps sit, ad removendum impedimentum. Recenseri solent (1) radicatus amor personarum desponsatarum ex diutina conversatione (2) reconciliatio parentum inter se hæctenus litigantium (3) conservatio bonorum avitorum in Familia (4) Favor liberorum ex illegitimo concubitu natorum vid. *plures Causa ap. Dn. Bruckner. Decis. Matr. C. 10. n. 15.* Quas non improbamus, sed arbitrio Principis relinquimus, ejus enim est dijudicare, an consultum sit, ex harum aliqua ratione vinculum legis dissolvere vid. Petr. Gregor. Tholos. *ad Tit. X. de Rescript. Lib. 1. C. 15. n. 2.*

§. XIII. Cauti etiam esse solent Principes, ne indulgentia hæc, ob certas causas certis personis concessa, auctoritas legum vilescat, & alii hac Principis gratia ad promiscuam contra prohibitiones matrimoniales peccandi licentiam abutantur. Cujus rei gratia etiam ipsis personis indulgentiam Principis implorantibus solent imponere certam pecuniæ summam, pro modo facultatum, ad pios vel alios usus impendendam Carpz. *Jur. Pr. Conf. L. 2. Def. 125.* Quo ipso non imitantur Pontifices, qui non habito discrimine personarum conjungendarum, gradus prohibitos venales publice exposuerunt, certa in singulis gradibus facta æstimatione *ut ex §. 10. constat*, & ita figunt leges, pretioque refigunt, auctoritate legum susque deque habita.

§. XIV.

§. XIV. Ex ratione politica varias leges conjugia prohibentes latas fuisse constat. Sic inter raptorem & raptam Jure Civili interdictum est matrimonium *L. unic. §. 1. C. de rapt. virg.* Est enim res maximi præjudicii & contra securitatem publicam, si indulgeretur illis, qui hostili more conjugia inire student. Unde quamvis inter raptorem & raptam de Jure Can. *C. pen. & fin. X. de Rapt. vid. Caus. 36. Q. 2.* matrimonium permissum sit, & ex sententia *Carpz. P. 4. C. 30. def. 7. n. 10.* Jus Canon. in Imperio Rom. Germ. observetur, Princeps noster Serenissimus tamen hic in Prussia Jus Civile hac in parte approbavit; unde hic in Prussia inter Raptorem & raptam conjugium non permittitur nisi ex speciali Principis indulgentia *P. G. N. L. 2. Tit. 3. Art. 2. §. 3.*

§. XV. Sic olim etiam matrimonium fuit interdictum inter virum sexagenarium & mulierem quinquagenariam *L. 27. C. de Nupt.* Cives & peregrinos *auth. omnes peregrini C. commun. de Success.* inter præsidem & provincialem *L. 38. & 57. ff. de R. N.* inter Senatorem, & humilem abjectamque foeminam *L. 7. C. de Incest. Nupt.* inter tutorem & pupillam *L. 36. ff. de R. N.* quarum personarum conjugia non solum illegitima, sed etiam stricto jure rescindenda erant *L. 4. C. de incest. & inutil. nupt. L. 8. C. de interd. Matr. inter pupil.* nisi indulgentia Principis confirmata fuerint *arg. L. 31. ff. de R. N.* Sed postquam hodie earum prohibitionum exiguus est usus *vid. Dd. addit. LL. vid. tamen Carpz. P. 4. C. 20. def. 17.* hæc saltem remissive sufficiat recensuisse.

§. XVI.

§. XVI. Hoc tamen exinde constat, quod quemadmodum olim factum est, ita & hodie Principes possint in utilitatem Reipubl. sub poena annullationis, conjugia societati Civili damnosa prohibere. Novi quidem hanc ipsam doctrinam non esse ad palatum Pontificiorum statuentium, quod matrimonium contra leges civiles contractum sit indissolubile, si quid canonicum non obstet vid. Panorm. *ad C. nostrum 1. de Sponsal.* Petr. Gregor. Tholos. *ad Tit. Decret. de Sponsal. n. 77.* sed ratio, qua utuntur, quasi matrimonium sit sacramentum, quod legibus profanis (uti loquuntur) non possit dissolvi, à nostratibus Theologis est explosa, ut adeo nostrum non sit eam denuò hic re-coquere.

§. XVII. Hoc quidem certum, quod Principes aliquando jure suo stricto non utantur, & matrimonia contra leges contracta tolerare soleant, imprimis si ea publico statui non videantur esse nociva. Sed principibus penitus denegare facultatem dirimendi conjugia contra prohibitiones ipsorum atque utilitatem publicam contracta, quid aliud est quam juribus Majestaticis vim inferre? Nec objici potest, quod Principes separare non possint, quos DEus conjunxit; tantum enim abest, ut DEum auctorem hujus conjunctionis illicitæ esse crederem, ut potius eum tale factum quam maxime averfari existimaverim *arg. Epist. ad Rom. 13. v. 2.* Sed cum hodie artes hujusmodi Principum Juribus sub specie pietatis & voluntatis Divinæ vim inferentes, non

H

eam

58. CAP. III. DE CONJ. JUR. CIV. ILLEG. INDULG. PRINC. CONF.
eam ac olim habeant speciem, hic quicquam ulterius
addere supervacaneum foret, & ab instituti ratione
alienum. Sit itaque hujus Dissertationis

FINIS.

D. v. L. & G.




ULB Halle
006 301 584


3



VDA7







David Stavinski de conjugio illegit.

*1, 218.
Def. §. roge. 6
1697, 3 a
14*

L. N. 7.
DISPUTATIO JURIS PUBLICI
SOLENNIS,
De

CONJUGIO
ILLEGITIMO IN-
DULGENTIA PRINCIPIS
CONFIRMATO,

Quam
Ex Decreto Amplissimi Senatus Academici
in Academia Albertina

PRO LOCO,

Professionis extraordinariae in Jure obtinendo,
Publice exhibet

DAVID STAVINSKI,
J. U. L.

RESPONDENTE

JOHANNE FRIDERICO GÜNTHERO,
Regiom. Boruss.

IN AUDITORIO MAJORI,

Horis ante & pomeridianis Anno M DC XCVII. d. 12. Decembr.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

